FR. ANDREÆ SGAMBATI
ORDINIS MINORUM
S. FRANCISCI CONVENTUALIUM

OPUS

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS.

TOMUS TERTIUSDECIMUS

COMPLECTENS

LIBROS DE EUCHARISTIA, ET MATRIMONIO.

NEAPOLI

ANNO MDCCLXXXII.

Ex Typographia Fratrum Paci.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO DOMINO

D. FRANCISCO CICCONI

REGIO S. CLARÆ CONSILIARIO,
AULÆ PRÆFECTO
IN M. C. V. C. &c. &c.

F. ANDREAS SGAMBATI

Opus hocce ſuum

NUNCUPAT CONSECRATQUE.

QUod inter egregios lucubrationum mearum Mecœnates Te etiam, SENATOR AMPLISSIME, recenſendum ingentibus votis precibuſque quæſiverim, multiplici id juſtaque ex cauſa factum eſſe nemo æſtimare non poterit. Tanta enim charitate Seraphicum Minorum S. Franciſci Conventualium Ordinem complecti dignaris, ut ejuſdem Sacri Ordinis Fratres TE uti præcipuum decus præſidiumque ſuum non immerito venerentur. Me inſuper, licet aliis virtute ingenioque inferiorem, ſingulari benevolentia, & humanitate proſequeris, ac in difficilibus ar-

duiſque rebus conſilio regis, ope levas, tutela ſolaris. Cum præterea eximias animi tui dotes, quibus inſignitus ab omnibus ſummopere commendaris, ſæpius attentiuſque ſpectaverim; nihil profecto felicius meis hiſce laboribus exoptavi, quam ut celeberrimo Nomini Tuo inſcripti dicatique publicam e prælo lucem aſpicerent. Ab ipſis enim unguiculis ad provectam uſque ætatem divinarum humanarumque rerum ſcientiæ, boniſque moribus ſedulo ac indeſinenter incumbens, ad conſpicuos dignitatis gradus a Potentiſſimo utriuſque Siciliæ Rege evehi non ſine evidenti Reipublicæ utilitate maximoque commodo meruiſti. Et ſane dum in ſupremo hoc Tribunali Oratoris officio ſumma cum laude fungebaris, inſignique doctrina, eruditione, & eloquentia pleraſque omnes maximi negotii cauſas invictus agebas; in Regia Catacii Audientia Aulæ Præfectus deſignatus fuiſti, ac deinde Rhegienſis Urbis Præfecturam aſſecutus, magnum Tui in omnibus deſiderium, æternum nomen

im-

immortalemque gloriam reliquiſti. Pauperum poſtea Advocatus, indeque Regii Fiſci Patronus electus, utrumque munus recte ſancteque, uti norunt prædicantque omnes, exercere curaſti. At quibus poſtremo laudibus efferam perſpectam prudentiam, vigilantiam, æquitatem, quam, dum Campaniæ Præfectus eſſes, celebrabant ubique boni, mali vero timebant? Non ergo mirandum eſt, ſi tuarum virtutum merito Regius S. Claræ Conſiliarius fueris renunciatus, Aulæque Præfectus in hac Magna Curia Vicariæ pro criminalibus cauſis conſtitutus; quæ ſane inſignia momentoſaque munera cum laudabiliter exequaris, ad ampliores ſemper dignitates iter Tibi aperire non ceſſas. Bene itaque meritoque opus iſtud Tibi, VIR ORNATISSIME, nuncupatum excuditur, ut decus omne ſuum, columenque comperiat; quod haud dubie conſequetur, ſi, uti ſupplex oro, conſueta humanitate ac bonitate ipſum excipere minime dedigneris. Vale.

IN-

INDEX

LIBER XXVIII.

UBi de Venerabili Euchariſtiæ Sacramento diſſeritur. pag. 1.

CAPUT I.

Num Euchariſtia ſit verum ac proprium legis Evangelicæ Sacramentum? 2

CAPUT II.

An panis & vinum ſint Euchariſtiæ materia? 7

CAPUT III.

An in fermentato, vel in azymo pane perficienda ſit conſecratio? 16

CAPUT IV.

Num vino conſecrando miſcenda ſit aqua; & num hæc in Chriſti ſanguinem convertatur, & quomodo? 26

CAPUT V.

De forma Euchariſtiæ. 37

CAPUT VI.

Demonſtratur in Euchariſtia vere & realiter Chriſti corpus & ſanguinem contineri. 50

CAPUT VII.

Quod realis corporis & ſanguinis Chriſti præſentia in Euchariſtia philoſophicis argumentis expugnari non poſſit. 64

CAPUT VIII.

Oſtendit, panis vinique ſubſtantiam in Euchariſtia minime remanere. 72

CAPUT IX.

Nonnulla diluuntur dubia, quæ ſpectant ad realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam. Ubi & de

de cultu diſſeritur, qui eidem Sacramento debetur. 85

CAPUT X.

De Euchariſtiæ Miniſtro. 96

CAPUT XI.

De ejuſdem Sacramenti ſubjecto. 104

CAPUT XII.

De diſpoſitionibus ad ſacramentalem Communionem requiſitis, ac de ejuſdem effectibus. 111

CAPUT XIII.

De ſacræ Communionis neceſſitate, uſuque frequenti. 120

CAPUT XIV.

Num neceſſe ſit laicis ſub utraque ſpecie Euchariſtiam accipere? 133

LIBER XXIX.

In quo de Euchariſtia ſub Sacrificii ratione tractatur. 149

CAPUT I.

Num vera Sacrificii ratio Euchariſtiæ conveniat? 150

CAPUT II.

In quanam actione eſſentialiter ſacrificium Miſſæ conſiſtat. 164

CAPUT III.

Oſtendit Miſſæ ſacrificium eſſe propitiatorium; aſſignatque cauſas & perſonas, pro quibus eſt offerendum. 172

CAPUT IV.

De Miſſis, quæ vulgo privatæ *dicuntur.* 181

CAPUT V.

Ubi de ſacrificio Miſſæ nonnulla breviter exponuntur. 190

LI.

LIBER XXX.

In quo de Sacramento Matrimonii diſputatur. 199

CAPUT I.

An Matrimonium ſit in ſe bonum, & honeſtum, ac aliquo pacto præceptum? 200

CAPUT II.

An Chriſtus in Evangelica lege Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexerit? 210

CAPUT III.

Ubi de Matrimonii materia, ac forma diſſeritur. 217

CAPUT IV.

De hujus Sacramenti Miniſtro: Ubi etiam breviter agitur de Matrimonio inito inter abſentes. 225

CAPUT V.

De Matrimonii unitate, eique oppoſita polygamia. 235

CAPUT VI.

De indiſſolubili Matrimonii nexu, ejuſque firmitate. 245

CAPUT VII.

De Matrimonii impedimentis. 262

CAPUT VIII.

Ubi de Sponſalibus & Denunciationibus nonnulla notantur. 276

CAPUT IX.

Quinam ſint Matrimonii effectus, & Bona? 294

FINIS.

DE
THEOLOGICIS INSTITUTIS
LIBER XXVIII,
Ubi de Venerabili Euchariſtiæ Sacramento diſſeritur.

POſtquam de Baptiſmo, aliiſque duobus, quæ characterem imprimunt, Sacramentis pro ingenii noſtri tenuitate tractavimus, de ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento nunc diſputandum aggredimur; quod quia Chriſti corpus, & ſanguinem continet, inter omnia Sacramenta præcipuum eſt. Euchariſtia autem a gratiarum actione vocatur: deſumptum eſt enim hoc nomen a græco verbo εὐχαριστῶ, quod idem eſt, ac *gratias ago*: nam per hujus Sacramenti oblationem, ac ſumptionem Deo gratias agimus pro univerſis ejus erga nos beneficiis; præcipue vero pro ineffabili beneficio paſſionis & mortis Chriſti, qua nos ille piiſſimus ab æterna morte redemit; uti docet Apoſtolus in 1. ad Cor. c. 11, utque inſuper Evangeliſtæ teſtantur.

CAPUT I.

Num Euchariſtia ſit verum ac proprium legis Evangelicæ Sacramentum?

PRopoſitio affirmativa.

Probatur tum ex dictis in lib. 24. c. 7. tum ex eo quod Sacramentum proprie dictum tria requirat; primum nempe, quod ſit ſenſibile ſignum; ſecundum, quod a Chriſto inſtitutionem acceperit; tertium, quod ſanctificandi vim habeat. Atqui tria hæc Euchariſtiæ Sacramento non deſunt. Eſt enim ſenſibile ſignum per ſpecies panis, & vini. A Chriſto inſuper inſtitutum fuiſſe conſtat ex Matth. 26. Marci 14. & Lucæ 22. Denique annexam habet gratiæ promiſſionem, cum Chriſtus ipſe dixerit Joan. 6. v. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*; & iterum v. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*. Habet igitur Euchariſtia quidquid ad veri propriique Sacramenti rationem exigitur.

Chriſtum autem aliis Sacramentis Euchariſtiam convenienter addidiſſe ſic probat Angelicus Doctor in p. 3. q. 73. a. 1. „ Sacramenta „ Eccleſiæ ordinantur ad ſubveniendum homini „ in vita ſpirituali; vita autem ſpiritualis vi„ tæ corporali conformatur, eo quod corpo„ ra-

„ ralia ſpiritualium ſimilitudinem gerunt: manifeſtum eſt autem, quod ſicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quam homo vitam accipit, & augmentum, quo homo perducitur ad perfectionem vitæ; ita etiam requiritur alimentum, quo homo conſervatur in vita: & ideo ſicut ad vitam ſpiritualem oportuit eſſe Baptiſmum, qui eſt ſpiritualis generatio, & Confirmationem, quæ eſt ſpirituale augmentum; ita oportuit eſſe Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt ſpirituale alimentum". Lege etiam Ven. Scotum in 4. diſt. 8. q. 1.

Quærunt hic Scholæ Theologi, num Euchariſtia ſit unum, vel multiplex Sacramentum? Reſpondere autem paſſim ſolent, *ſpecie* unum eſſe; nam ſpecifica unitas Sacramenti repetenda eſt ex unitate ſignificationis practicæ, & principalis effectus: Modo etſi Euchariſtiæ Sacramentum ex diverſa ſecundum phyſicam ſpeciem materia conficiatur, ex pane nimirum, & vino; habet tamen unam formalem ac totalem ſignificationem practicam, & unum eundemque producit effectum, ſpiritualem ſcilicet animæ refectionem; cujus quidem refectionis integritas conſtat ex cibo & potu, per metaphoram a corporali refectione depromptam, ad quam cibus, potuſque requiritur. Lege S. Thomam in citata ſuperius quæſt. a. 2. & S. Bonaventuram in 4. d. 8. p. 2. a. 2. q. 2.

Si quis igitur objectare voluerit, aliquando a Veteribus, & in Eccleſiaſtico Officio Euchariſtiam plurali numero Sacramenta vocari; uti in Collecta illa, *Purificent nos, quæſumus Domine, Sacramenta, quæ ſumpſimus*: Reponemus cum iiſdem Scholæ Doctoribus,

Euchariſtiam *materialiter* tantum plura Sacramenta dici, quia plura ſunt ſymbola, ſive ſigna, panis nimirum & vinum: *formaliter* vero unum eſt, ac dicitur Sacramentum, quia ſigna illa unam denotant animæ refectionem; quapropter in citata Collecta ſubjungitur: *Et præſta; ut hoc tuum Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam*.

Idem vero Sacramentum *numero* multiplex eſt, non ratione ſignati, Chriſti videlicet qui ſub diverſis ſpeciebus idem numero continetur; ſed ratione dumtaxat ipſarum ſpecierum, quæ numero diſtincta Sacramenta conſtituunt, quando in ſeipſis numero multiplicantur, denotantque diſtinctam numero ſpiritualem animæ refectionem. Videndi hac de re inter alios ſunt Maſtrius, & Tournely.

Cum inſuper plura in Euchariſtia conſiderare poſſimus, nempe Chriſti verba quibus panis & vinum conſecratur, panis & vini accidentia quæ poſt conſecrationem permanent, Chriſti corpus & ſanguis, ac ipſa denique ſumptio; quærunt Scholaſtici, quid horum præciſe rationem habeat Sacramenti.

Huic nos dubio breviter occurrentes aſſerimus 1. verba conſecrationis ad eſſentialem hujus Sacramenti conſtitutionem minime pertinere. Euchariſtia enim eſt Sacramentum permanens; verba autem conſecrationis non permanent, ſed pronuntiatione pertranſeunt. Ergo licet hæc Sacramentum efficianti, non tamen intrinſecus formaliterque conſtituunt. Lege Subt. Doctorem in 4. d. 8. q. 1. n. 9.

2. Neque formalis Euchariſtiæ ratio in ſumptione conſiſtit; cum perfectum ſit Sacramentum

tum antequam ſumatur: prolatis enim conſecrationis verbis, ſtatim Chriſti corpus & ſanguis ſubſtantialiter adeſſe creduntur. Sumptio itaque non eſt Sacramentum, ſed pura conditio qua Sacramenti virtus ſuſcipientibus applicatur, ut in eis gratiam operetur.

3. Neque ſolæ ſpecies, neque ſolum Chriſti corpus & ſanguis, ſed eædem ſpecies prout connotant ſub ſeipſis Chriſti corpus & ſanguinem contineri, eſſentialiter Sacramentum Euchariſtiæ conſtituunt. Et profecto Sacramentum iſtud a Fidelibus adoratur, gratiamque producit; quæ ſane duo ſolis in ſe accidentibus convenire non poſſunt. Deinde Sacramentum eſt ſenſibile ſignum; at non ita ſe habent Chriſti corpus & Sanguis, prout in Euchariſtia celantur.

Dicendum eſt itaque cum Scotiſtis, Sacramentum Euchariſtiæ eſſentialiter quidem conſiſtere in ſpeciebus conſecratis; has autem Chriſti corpus, & ſanguinem connotare; cujus connotationis reſpectu ſpecies illæ coluntur adoratione relativæ latriæ, gratiamque producunt. Id profecto ex communi Patrum, ac Fidelium loquendi more deducitur, qui in Euchariſtiæ Sacramento contineri Chriſti corpus & ſanguinem profitentur; quod perinde eſt, ac dicere, Sacramenti rationem permanentibus panis, vinique ſpeciebus, non Chriſti corpori aut ſanguini *primario* convenire; alioquin ſenſus eſſet Sacramentum ſub Sacramento contineri. Idque manifeſtius apparebit, ſi ratio ſigni ſenſibilis, quæ cuique Sacramentorum ineſt, diligentius attendatur: non enim quæ penitus latent, ſed quæ ſui ſpeciem ſenſibus ingerunt, ſenſibilia

lia ſigna vere recteque dicuntur. Recole quæ diximus in lib. 24. c. 1. Hanc denique principalem Sacramenti rationem etiam Eccleſia ſolis ſpeciebus attribuit, dum ita canit in Miſſa: *Fracto demum Sacramento, ne vacilles, ſed memento tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur.* At non Chriſti corpus & ſanguis, ſed ſpecies ſolæ franguntur: unde in eodem hymno ſubjungitur: *Signi tantum fit fractura, qua nec ſtatus, nec ſtatura ſignati minuitur.* Hac de re legendus eſt Maſtrius in 4. diſp. 3. q. 1. a. 1.

Ex dictis poſtremo colligitur Euchariſtiam his aut ſimilibus verbis poſſe deſcribi: *Eſt novæ legis Sacramentum, in quo ſub panis vinique ſpeciebus continetur Chriſti corpus & ſanguis, ad ſignificandam efficiendamque ſpiritualem animarum noſtrarum refectionem.*

CAPUT II.

An panis & vinum ſint Euchariſtiæ materia?

DUplex materia a Catholicis Theologis in Euchariſtia diſtinguitur. Una tranſiens; & hæc eſt panis, & vinum, quæ per conſecrationem in Chriſti corpus, & ſanguinem tranſubſtantiantur: altera permanens; & hæc ſunt accidentia panis, & vini, quæ peracta conſecratione perſiſtunt, & ſub eiſdem, loco ſubſtantiæ panis, & vini, ſuccedit Chriſti corpus & ſanguis. De priori itaque materia hoc in capite diſputamus.

Turpiſſime circa Euchariſtiæ materiam Gnoſtici, & Manichæi errarunt, eas adhibendo ſpurcitias, quas ne cogitare quidem permittit pudor. De illis agit Epiphanius hær. 26. de his autem Auguſtinus hær. 46. Quidam etiam Montaniſtæ, uti refert idem Auguſtinus hær. 26. funeſta habuere ſacramenta; nam de infantis anniculi ſanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquebant, quaſi euchariſtiam ſuam conficiebant, miſcentes eum farinæ, panemque inde facientes. Alii item hæretici, de quibus idem S. Doctor hær. 28. in Euchariſtiæ Sacramento panem & caſeum offerebant, ajentes, *a primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ovium fuiſſe celebratas;*

tas; & ideo *Artotyritæ* dicti ſunt ἀπὸ ἄρτυ *a pane*, & τύρυ *caſeo*. Tandem *Aquarii*, ſive *Hydroparaſtatæ* appellati ſunt plures hæretici, propterea quod ſola aqua in ſacris myſteriis uterentur; e quorum numero Ebionitæ, Encratitæ, & Manichæi fuerunt.

Propoſitio. Neceſſaria Euchariſtiæ materia eſt panis triticeus, vinumque vitigenum.

Probatur. Ea eſt neceſſaria Euchariſtiæ materia, in qua Chriſtus idem Sacramentum confecit, & conficiendum fore præcepit: atqui Chriſtus in pane triticeo, & in vino vitigeno Euchariſtiam confecit, ac conficiendam eſſe mandavit. Legitur enim Matth. 26. v. 26. & ſequen. *Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc eſt corpus meum . . . Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim calix novi teſtamenti . . . . Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, &c.* Atqui vox illa *panis* abſolute prolata triticeum denotat panem, quo communiter utuntur homines, quemque Judæi paraverant quibuſcum Chriſtus Paſcha peregit; itemque *genimen vitis* non niſi vinum de vite ſignificat. Quod tandem Chriſtus Apoſtolis mandaverit, ut & ipſi in conficienda Euchariſtia eaſdem ſubſtantias adhiberent, non obſcure colligitur ex verbis ejus Lucæ 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*: quæ repetit Paulus in 1. ad Cor. 11. v. 24. ſubditque v. 25. *Hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem*.

Id quoque firmatur pluribus Conciliorum de-

definitionibus, ac præſertim Carthaginenſis III. quod can. 24. conſtituit, *Ut in Sacramento corporis, & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis, & vinum aqua mixtum*. Concilium etiam Florentinum in Inſtruct. Armenorum ait: *Tertium eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet*. Idem denique perpetuo docuerunt Patres, quorum teſtimonia in re certiſſima recenſere ſuperfluum eſt.

Quamvis vero inſtitutionis hujuſce ratio ex Chriſti voluntate ſit repetenda, plures tamen ejuſdem congruentiæ a Theologis aſſignantur, ex quibus quatuor tantum ita recenſet Catechiſmus Rom. in p. 2. c. 4. n. 18. „ Primum „ panis & vini ſymbola Chriſtum nobis ſignificant, ut vera eſt hominum vita: ipſe enim Dominus ait Joan. 6. 55. *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*. „ Cum igitur corpus Chriſti Domini vitæ æternæ alimentum illis præbeat, qui ejus Sacramentum pure & ſancte ſuſcipiunt, recte „ iis potiſſimum rebus conficitur, quibus hæc „ vita continetur; ut Fideles facile poſſint intelligere pretioſi corporis & ſanguinis Chriſti communione mentem, animumque ſaturari.

„ Nonnihil etiam hæc ipſa elementa ad id „ valent, ut eam cognitionem accipiant homines, eſſe in Sacramento corporis & ſanguinis Domini veritatem. Nam cum panem, & vinum in humanam carnem & ſanguinem quotidie vi naturæ immutari anim-

„ ad-

„ advertamus ; facilius adduci poſſumus hac „ ſimilitudine, ut credamus panis & vini ſub„ ſtantiam in veram Chriſti carnem, verumque „ ejus ſanguinem cœleſti benedictione con„ verti.

„ Affert etiam aliquid adjumenti hæc admi„ rabilis elementorum mutatio ad adumbran„ dum, quod fit in anima. Ut enim etſi „ nulla extrinſecus panis & vini mutatio ap„ pareat, tamen eorum ſubſtantia in carnem „ & ſanguinem Chriſti vere tranſit; ita etiam, „ tametſi in nobis nihil immutatum videtur, „ interius tamen ad vitam renovamur, dum „ veram vitam Euchariſtiæ Sacramento acci„ pimus.

„ Accedit ad hæc, quod cum unum Eccle„ ſiæ corpus ex multis membris compoſitum „ ſit; nulla re magis elucet ea conjunctio, quam „ panis vinique elementis. Panis enim ex „ multis granis conficitur, & vinum ex mul„ titudine racemorum exiſtit; atque ita nos, „ cum multi ſimus, hujus divini myſterii vin„ culo arctiſſime colligari, & tanquam unum „ corpus effici declarant. “ Lege S. Thomam in p. 3. q. 74. a. 1. & S. Bonaventuram in 4. d. 11. p. 2. a. 1. q. 1.

Ex dictis infertur 1. valide non confici Euchariſtiam ex hordeo, ſpelta, farre, aliiſque frumenti generibus; uti quidam de Schola dixerunt. Ea enim in communi ſignificatione *triticeus panis*, quem pro Euchariſtiæ materia Synodus Florentina præſcripſit, appellari non poſſunt. Conſtat præterea ex Actione 3. Concilii Chalcedonenſis celebrati anno 451. in Lybia incruentum Sacrificium tunc non fuiſſe peractum,

actum, quando Dioſcorus Alexandrinus Epiſcopus largiſſimis pecuniis frumentum emit, deditque operam, ne in Lybiam, ubi propter terræ ariditatem *triticum* omnino non naſcitur, deferretur. Non ergo in frumento quocunque, ſed tantum in tritico, quod eſt nobilior frumenti ſpecies, ſtatuenda eſt Euchariſtiæ materia: unde & in Pſalmo 80. v. 17. legimus Euchariſtiam in *frumenti adipe* præſignatam.

De ſiligine vero ſi quæſieris quid ſit dicendum; reponemus, quod ſi ſiligo ſumatur pro ſelecto tritico, uti ſumitur a Plinio in lib. 18. c. 8. ab Iſidoro in lib. 11. Etymolog. c. 3. & ab aliis, dubitandum non eſt, poſſe ex ſiligineo pane confici Euchariſtiam. Si autem accipiatur ſiligo pro ea, quæ vulgo *ſegala* dicitur, non una eſt Theologorum opinio; nos tamen Eminentiſs. Gotti ſubſcribimus arbitranti panem ex illa confectum non eſſe idoneam Euchariſtiæ materiam. Neque obſtat, quod e tritici ſemine ſiligo naſcatur, uti ſcribit Columella in lib. 2. c. 9. nam inde etiam generatur avena, degenerante tritico a propria ſpecie & natura. Hoc denique ſtante dubio, ſiligineum panem conſecrare non licet; quia juxta Innocentii XI. definitionem, cum de Sacramenti valore tractatur, nefas eſt probabilem opinionem ſequi, tutiore relicta.

Infertur 2. non eſſe Euchariſtiæ materiam farinæ *paſtam* igne non coctam. Ea enim non panis dicitur, ſed *intritum*, cumque ad corporalem refectionem non adhibeatur, ſpiritualis alimoniæ ſignum eſſe non poteſt. Quamvis itaque paſta a maſſa cocta accidentaliter tantum differre dicatur, ſi phyſica utriuſque natura con-

conſideretur; moraliter tamen & quoad communem uſum omnino diſtinguitur: qua etiam ratione neque maſſa frixa, neque elixa eſt ſufficiens Eucharıſtiæ materia. Vide Fraſſenium, Maſtrium, Cajetanum, &c.

Infertur 3. præter vinum de vite non eſſe aptam conſecrationis materiam liquores alios, utputa cerveſiam, mulſum, ſuccum malorum granatorum, mororum, &c. quia, uti recte ſcribit S. Thomas in p. 3. q. 74. a. 5. ad 1. *illi liquores non dicuntur proprie vinum, ſed ſecundum ſimilitudinem. Poteſt autem verum vinum ad terras illas deferri, in quibus vites non creſcunt, quantum ſufficit ad hoc Sacramentum.*

Addit inſuper idem S. Doctor ad 3. *quod agreſta eſt in via generationis; & ideo nondum habet ſpeciem vini: & propter hoc de ea non poteſt confici hoc Sacramentum. Muſtum autem jam habet ſpeciem vini, nam ejus dulcedo atteſtatur digeſtionem, quæ eſt completio a naturali calore, ut dicitur in 4. Meteor. & ideo de muſto poteſt confici hoc Sacramentum. Non tamen debent uvæ integræ huic Sacramento miſceri, quia jam eſſet ibi aliquid præter vinum. Prohibetur etiam; ne muſtum ſtatim expreſſum de uva in calice offeratur, quia hoc eſt indecens propter impuritatem muſti. Poteſt tamen in neceſſitate fieri.* Unde S. Doctor eodem in loco citat canonem *Cum omne* diſt. 2. de Conſecrat. approbatum in Lateranenſi Synodo III. c. 1. qui eſto redarguat quoſdam conſecrantes muſtum expreſſum una cum botris, & granis; permittit tamen, quod *ſi neceſſe fuerit, botrus in calicem comprimatur.*

Præterea acetum pro conſecrationis materia ad-

adhiberi non poteſt. Ut enim ibidem ad 2. ait Doctor Angelicus, *Vinum fit acetum per corruptionem, unde non fit reditus de aceto in vinum, ut dicitur 8. Metaph. textu 14. & ideo, ſicut de pane totaliter corrupto non poteſt confici hoc Sacramentum, ita nec de aceto. Poteſt tamen confici de vino aceſcente, ſicut & de pane, qui eſt in via ad corruptionem; licet peccet conficiens.*

De pane demum & vino aliis permixto corporibus attendenda ſunt quæ Seraph. Doctor ait in 4. d. 11. p. 2. a. 1. q. 4. „ Mixtio dicitur dupliciter; ſcilicet communiter, & proprie. „ Communiter, quando miſcetur aliquid alicui „ alterius naturæ, quod tamen non habet pro„ portionem in quanto, ſed illud tanquam „ prædominans ſolvit ſpeciem, & convertit „ in ſe; & tunc non eſt mixtio proprie, & „ talis poteſt eſſe in hoc Sacramento. Et „ de hac dicitur in fine 1. de generatione, „ quod ſi gutta aquæ miſceatur amphoræ vini, „ non eſt mixtio, quia ſolvitur ſpecies. Eſt „ alia mixtio proprie dicta, miſcibilium alte„ ratorum unio; & hæc repugnat: unde tot „ grana poſſunt commiſceri granis frumenti, „ & tantum de aqua vino, quod alterant a „ ſuis naturalibus ſaporibus: & hæc mixtio „ tollit potentiam conficiendi: & ideo frumen„ ti grana diligenter ſunt ſecernenda, & valde „ parum de aqua eſt apponendum, maxime „ quando vinum eſt debile." Sed de aqua vino miſcenda inferius differemus. Conſule interim S. Thomam in citata q. 74. a. 3. ad 3. qui inſuper eadem in quæſtione a. 7. ad 3. docet ad confectionem panis qui ſit Euchariſtiæ materia, neceſſario requiri, ut farinæ non alia quam

quam naturalis aqua miſceatur; ait enim: *Quia admixtio aquæ ad farinam eſt de neceſſitate hujus Sacramenti, utpote conſtituens ſubſtantiam panis, ſi farinæ admiſceretur aqua roſacea, vel quicumque alius liquor, quam vera aqua, non poſſet ex eo confici Sacramentum, quia non eſſet verus panis*. Et ſane communis panis, quo etiam uſus eſt Chriſtus, non niſi naturali aqua conficitur. Hanc vero communiorem tutioremque ſententiam Thomiſtæ omnes ac Scotiſtæ ſequuntur contra Cajetanum, alioſque perpaucos.

Quæ huc uſque protulimus, evidenter oſtendunt, a veritate longius aberraſſe Theodorum Bezam, alioſque Novatores, qui putarunt ad rationem ſacramentalis materiæ ſufficere aliquam inter ſignum, & ſignatum analogiam; ideoque recte in Cœna Dominica uſurpari quidquid loco panis adhibetur, & ob vini inopiam apponi poſſe potum alium uſitatum.

Quærunt hic inſuper Scholæ Doctores, an determinata panis vinique quantitas ad Euchariſtiæ materiam requiratur? Huic dubio S. Thomas, quem Gotti, Berti, aliique ſequuntur, ita reſpondet in laudata q. 74. a. 2. „ Quidam „ dixerunt, quod Sacerdos non poſſet conſe„ crare immenſam quantitatem panis, aut vi„ ni; puta totum panem, qui venditur in fo„ ro, aut totum vinum, quod eſt in dolio; „ Sed hoc non videtur eſſe verum, quia in „ omnibus habentibus materiam ratio deter„ minationis materiæ ſumitur ex ordine ad fi„ nem, ſicut materia ſerræ eſt ferrum, ut ſit „ apta ſectioni. Finis autem hujus Sacramenti „ eſt uſus Fidelium: unde oportet, quod quan„ titas materiæ hujus Sacramenti determinetur

„ per

„ per comparationem ad uſum Fidelium, non „ qui nunc occurrunt; alioquin Sacerdos pau„ cos Parochianos habens non poſſet conſecra„ re multas hoſtias. Unde relinquitur, quod „ materia hujus Sacramenti determinetur per „ comparationem ad uſum Fidelium abſolute. „ Numerus autem Fidelium eſt indetermina„ tus: unde non poteſt dici, quod quantitas „ materiæ hujus Sacramenti ſit determinata.“ Alii tamen oppoſitum ſentiunt, quorum opinionem legere poteris apud S. Bonaventuram in 4. d. 10. p. 2. a. 1. q. 4.

Sacerdoti autem eam tantum materiæ quantitatem conſecrare licet, quam prudenter judicat a Fidelibus ſumi poſſe, antequam ſpecies computreſcant. Qui enim ſecus ageret, ſpeciesque periculo corruptionis exponeret, enormis ſacrilegii reus evaderet; ac gravem injuriam Sacramento inferret, niſi eas, antequam putreſcere inciperent, ſtatim abſumeret.

Tandem advertimus, quod ut panis & vinum conſecrari valide poſſint, debent eſſe Sacerdoti moraliter & humano more præſentia; *quia*, inquit S. Thomas in 4. d. 11. q. 2. a. 1. q. 3. ad 1. *ipſa forma pronomine demonſtrativo utens oſtendit, quod materia conſecranda debet eſſe coram Sacerdote. Unde Sacerdos exiſtens in domo ſua non poſſet conſecrare panem, qui eſt in altari; quod etiam non poteſt de toto pane, qui eſt in foro, neque de toto vino, quod eſt in cellario: ſed quantacumque ſit quantitas panis, & vini, quæ coram Sacerdote proponitur, credo, quod poſſit conſecrari ab ipſo.*

Hinc itaque patet non conſecrari materiam poſt parietem, aut a tergo Sacerdotis poſitam, cum

cum per pronomen demonſtrativum formæ *hoc*, vel *hic* indicari non poſſit. Cæcus vero Sacerdos hoſtias, quas digno teſtimonio ſciret coram ſe in altari conſtitutas, proculdubio conſecraret; cum illæ tunc morali præſentia, & juxta humanam æſtimationem adeſſent. Poſſunt etiam conſecrari hoſtiæ ante Sacerdotem poſitæ, etiamſi coopertæ ſint velo, atque etiamſi non aperiatur pixis continens particulas pro communione Fidelium. Ad moralem quippe præſentiam neceſſe non eſt, ut materia conſpiciatur oculis; alioqui nec pixide aperta conſecrarentur particulæ ſub aliis latitantes. Quod vero ad licitam conſecrationem pertinet, ſervandum eſt Eccleſiæ præceptum, quo tenetur Sacerdos, dum conſecrat, pixidem, calicemque detegere.

C A P U T III.

An in fermentato, vel in azymo pane perficienda ſit conſecratio?

MIchael Cerularius Patriarcha CP. ſeculo undecimo in Romanam debacchans Eccleſiam, effutivit non illicitam modo, ſed & irritam eſſe conſecrationem in azymo; Latinoſque per irriſionem *Azymitas* appellans; ab illorum ſe communione disjunxit. Cerularium ſecuti ſunt poſteriores Græci ſchiſmatici, quos ut breviter ac ſolide refellamus, tria hæc exponenda ſubjungimus, 1. an Chriſtus dum Eucha-

chariſtiam inſtituit, in fermentato, vel in azymo conſecraverit: 2. an in utroque pane valeat conſecratio: 3. an fermentatum, vel azymum panem cuique liceat adhibere?

Propoſitio 1. Chriſtus Euchariſtiam in azymo conſecravit.

Probatur. Chriſtus Euchariſtiam inſtituit prima die azymorum: ergo conſecravit in azymo. Conſequentia patet: Nam in prima azymorum die juxta præſcriptum legis, Exodi 12. Levitici 23. Num. 28. a Judæorum domibus auferebatur fermentum, ac ſolæ azymi panis placentæ menſis apponebantur: cum ergo Chriſtus, legis obſervantiſſimus, ea die Euchariſtiam inſtituerit, in legitimo pane, ideſt in azymo conſecravit. Probatur antecedens: Matth. 26. v. 17. legitur: *Prima autem die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha? At Jeſus dixit: Ite in civitatem ad quendam, & dicite ei: Magiſter dicit, Tempus meum prope eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis, Et fecerunt diſcipuli, ſicut conſtituit illis Jeſus, & paraverunt Paſcha. Veſpere autem facto, diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis... Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem... Et accipiens calicem, &c.* Similia habentur Marci 14. & Lucæ 22. Chriſtus igitur prima azymorum die, & in pane azymo Euchariſtiam inſtituit.

Bene itaque S. Leo Papa IX. in epiſt. ad prædictum Michaelem CP. Patriarcham ait: *Qui non venerat ſolvere legem ſed adimplere, juxta ipſius legis præceptum, & azymis & vino vetus Paſcha adimplevit, & protinus ex azymis & vino novum; ſicut aperte*

Lucas narrat, diſcipulis tradidit. Neque enim totis octo diebus illis fermentatum apparebat in omnibus finibus Iſrael, & apud quemcunque inveniebatur, peribat anima ejus de populo ſuo. Quod ſi in cœna Domini Jeſu apparuiſſet, aut ipſe, ſeu diſcipuli ejus, quoquo modo guſtaſſent, juſte ſicut prævaricatores legis perirent; nec ipſe Dominus diceret ſuis inſidiatoribus, Quis ex vobis arguet me de peccato? Nec opus eſſet falſos teſtes ad perdendum eum quærere, cum hoc ſolo perderetur juſte.

At reſpondent Græci, Chriſtum antevertiſſe diem a lege præſcriptam, & celebraſſe ſupremam cœnam luna XIII. nondum ſublato fermento; ajuntque illum manducaſſe tunc quidem Paſcha legale cum azymis ritu Moſaicæ legis ſervato; poſtea vero inſtituiſſe Euchariſtiam in fermentato, ſive communi pane, nondum ea die prohibito. Id autem ita demonſtrant; I. quia Joannes c. 13. v. 1. ait, Dominum inſtituiſſe poſtremam cœnam, *Ante diem feſtum Paſchæ*, ideoque ante veſperam lunæ XIV. atque ante inchoatum primum azymorum diem, ſive Paſchalem ſolemnitatem, quæ *a veſpera ad veſperam* peragebatur juxta mandatum legis, Levit. 23. v. 32.

II. Idem Evangeliſta c. 18. v. 28. teſtatur, quod Judæi nondum Paſcha comederant feria ſexta, quæ proxime ſecuta eſt noctem, qua Chriſtus Euchariſtiam inſtituit; ait enim: *Erat mane: & ipſi non introierunt in Prætorium ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*. Chriſtus igitur qui jam Paſcha comederat, prævenit diem a lege ſtatutum.

III. Feria ſexta, qua crucifixus eſt Chriſtus,

ſtus, Joan. 19. v. 14. dicitur *Paraſceve Paſchæ*, id eſt, *præparatio*, ſive pridie ante Paſcha. Et dies Sabbati, qui diem mortis Chriſti ſubſecutus eſt, *magnus* dicitur ab eodem Joanne in citato cap. v. 31. non ob aliam ſane rationem, quam quod Paſchalis ſolemnitas, ſive prima azymorum dies in Sabbatum illud inciderat.

Reſp. ex dictis, credibile non videri, quod Chriſtus, ſtudioſus Moſaicæ legis cuſtos, eam transgredi in ſupremi Paſchatis celebratione voluerit, diem legitimum prævertendo: Deinde ſi id feciſſet, Judæorum Sacerdotes ipſum violatæ legis proculdubio accuſaſſent; quod a proditore Juda reſcire facile potuiſſent. Præterea paterfamilias, ad quem Chriſtus diſcipulos miſit, ut Paſcha pararent, domum ſuam minime commodaſſet, ne intempeſtiva legis tranſgreſſione Judæorum in ſe odium concitaret. Accedit inſuper, quod Chriſtus diſcipulorum rogatu juſſit parari Paſcha: at illi legitimum tempus celebrandi Paſcha ignorare non poterant; præſertim cum ſcribat Lucas c. 22. v. 7. *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha*. Poſtremo celebrandum erat Paſcha in domo a fermento purgata, ut legitur Exodi 12. v. 19. ergo etiamſi Chriſtus legitimum præveniſſet tempus, non tamen in fermentato Euchariſtiam confeciſſet. Lege Eſtium in objectum Joannis locum.

Ad 1. vero objectum prætermiſſis aliorum reſponſionibus breviter cum P. Berti reponimus, quod etſi cœna Paſchalis perageretur facto veſpere, & die XIV. exeunte, ac tunc inchoata foret legalis feſtivitas; Judæi tamen

feſtum Paſchatis peculiari titulo incipiebant a media nocte, illudque agebant proxima die quintadecima; quia Dominus percuſſit primogenitos in terra Ægypti *in noctis medio*, Exodi 12. v. 29. & Paſcha, ut ibidem legitur v. 27. erat *victima tranſitus Domini, quando tranſivit ſuper domos filiorum Iſrael in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos Iſraelitarum liberans.* Hinc ipſum *Paſchæ* nomen *tranſitum* ſignificat. Quod ergo ait Joannes, *Ante diem feſtum Paſchæ*, idem eſt, ac *ante mediam noctem:* unde in Græco, & in Syriaco legitur ſimpliciter, *Ante feſtum Paſchæ*.

Ad 2. Paſchæ nomen eo in loco non ſignificat Paſchalem agnum, ſed victimas ovium, juvencorum & boum, quæ per ſeptem azymorum dies offerebantur, & de quibus legitur Deut. c. 16. v. 2. *Immolabiſque phaſe Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus*. Ab hiſce victimis Judæi, ſi immundi erant, abſtinere debebant; ita enim præceperat Deus Levit. 22. *v.* 3. *Omnis homo, qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea, quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt filii Iſrael Domino, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino*. Vide Menochium, & Tirinum in hunc locum. Denique etiam ex Act. c. 12. v. 4. conſtat dies omnes azymorum *Paſcha* vocari.

Ad 3. Paraſceve Paſchæ ibi non denotat Paraſceve primæ diei azymorum, ſed ipſam primam azymorum diem, quæ erat Paraſceve Sabbati occurrentis inter azymorum dies, qui omnes dicti ſunt *Paſcha*. Legitur enim Marci 15. v. 52. *Erat paraſceve, quod eſt ante Sabbatum:* & Lucæ 23. v. 54. *Et dies erat paraſceves, & Sab-*

Sabbatum illuceſcebat. Et ſane ad *Paſcha* nulla erat Paraſceve, ſive ciborum præparatio; quoniam ex c. 12. Exodi v. 16. prima azymorum die licebat ea facere, *quæ ad veſcendum pertinent*; quod fieri Sabbato non licebat.

Tandem idcirco *magnus* dictus eſt dies ille Sabbati, quia cum intra feſta Paſchalia occurreret, erat admodum celebris ac ſolemnis, quum populus pacificas victimas offerens Templum adiret. Ut enim conſtat ex c. 7. Joan. v. 37. *magni* dicebantur dies feſti, in quibus populus cum holocauſtis & victimis coram Domino comparebat. Vide S. Bonaventuram Expoſitione in caput iſtud Joannis.

Objectant ulterius. Principes Sacerdotum ineuntes conſilium occidendi Chriſtum, dicebant Matth. 26. v. 5. *Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo*. Atqui ſi Chriſtus Paſcha, & Euchariſticam Cœnam luna XIV. in ſecundis veſperis celebraſſet, poſtridie in die feſto, in primo ſcilicet azymorum, actus fuiſſet in crucem.

Præterea narrat Evangelium plura in emortuali Chriſti die fuiſſe peracta, quæ in primo azymorum, celeberrimo ac ſancto, fieri omnino non poterant: armati milites ut Jeſum caperent; conſilium ſummo mane initum a Principibus Sacerdotum & ſenioribus populi; appellatio ad tribunal Romani Præſidis; repetita accuſatio; expoſtulatio & executio teterrimi ſupplicii; necatorum ſepultura; præparatio ſindonis, & aromatum pro exanimi Chriſti corpore condiendo.

Ad 1. reſpondemus cum Chryſoſtomo hom. 79. alias 80. in Matth. Principes Sacerdotum

 ira

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ira inflammatos ſuam poſtmodum mutaſſe ſententiam: *Cùm dixiſſent enim*, Non in die feſto, *cum proditorem inveniſſent, de tempore non curarunt, ſed in ipſo feſto occiderunt*.

Ad alterum. Fatemur multas legis tranſgreſſiones a Principibus Sacerdotum factas, ut Jeſum perderent; at plura illi Gentium miniſterio peregerunt, ne viderentur tam aperte ſolemnitatem Paſchatis violare. Deinde Chriſto non ſemel mortem diebus ſolemnioribus intentarunt, Joan. 10. v. 31. in feſto Encœniorum, & in ipſa porticu Salomonis; & in feſto Tabernaculorum, c. 8. v. 59. Præterea narrat Matthæus c. 27. v. 62. & ſeq. *altera die, quæ eſt poſt paraſceven*, id eſt, die Sabbati, & ex Adverſariorum ſententia die Sabbati ſimul & Paſchatis, conveniſſe Principes Sacerdotum & Phariſæos ad Pilatum, rogantes, ut poneret milites ad cuſtodiendum ſepulcrum, acceptaque a Præſide facultate, ipſoſmet appoſuiſſe cuſtodes, muniviſſe ſepulcrum, lapidemque ſignaſſe. Denique inſignes reos in ſolemnioribus diebus fuiſſe damnatos extremoque affectos ſupplicio, ex communi Rabbinorum traditione colligitur. Vide Druſium in c. 26. Matthæi.

Poſſe etiam in prima azymorum die mortuum ſepeliri, atque exerceri quidquid ad funus pertinet, emi ac parari ſindonem, haberi curationem cadaveris, & pollincturam, omniaque ad pietatis officia licite emi & vendi, ſcribit Rab. Jacob Ben-Judæ in libro *Agur* n. 651. Ad hæc, Tobiam quoque *in die feſto Domini* ſuſtuliſſe de platea unum ex filiis Iſrael jugulatum, ibique jacentem, ut illum in proximæ noctis ſilentio ſepeliret, legimus in libro

in-

Digitized by Google

inſcripto ejuſdem Tobiæ nomine c. 2. Poſtremo Deut. c. 21. v. 23. præcipitur, cadaver ejus qui in patibulo appenſus erat, *in eadem die* eſſe ſepeliendum. Reliqua huc ſpectantia argumenta leges apud Theologos alios qui hac de re prolixius pertractarunt; præſertim vero apud P. Berti in lib. 33. c. 1. & ſequentibus.

Propoſitio 2. Valide Euchariſtia conficitur, ſive fermentatus ſit panis, ſive ſit azymus.

Probatur ex Florentini Concilii definitione in Literis Unionis: *Definimus in azymo, ſive in fermentato pane triticeo Chriſti corpus veraciter confici*. Legitur etiam in Profeſſione Orthodoxæ fidei a Græcis facienda, & Græce ac Latine edita juſſu Gregorii XIII. *Item in azymo, ſive fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici*.

Quod vero ad fermentatum panem ſpeciatim attinet, Latini nunquam Græcorum ſacrificia reprobarunt, quod e fermentato pane conficiantur; imo Pius V. in Conſtitutione, *Providentia Romani Pontificis*, edita anno 1566. inhibuit, *ne deinceps Preſbyteri Græci præcipue uxorati Latino more, & Latini Græco ritu Miſſas, & alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præſumant*. Quod prohibuit etiam Benedictus XIV. in Conſtitut. *Etſi Paſtoralis*, emanata anno 1742.

Tum valere Euchariſtiam in azymo ex ſupra dictis apparet, cum Chriſtus Dominus in azymo conſecraverit. Præterea nunquam Græci ante Michaelem Cerularium hac de re Latinam Eccleſiam accuſarunt, neque ipſe ſchiſmatis auctor peſtilentiſſimus Photius. Unde merito Leo IX. in epiſt. ad eundem Michae-

cilio, & ex pluribus Romanorum Pontificum decretis, quæ recenſuit, & innovavit Benedictus XIV. in laudata ſuperius Conſtitutione ſuper ritibus Græcorum §. 6. n. 10. ubi *diſtrictius inhibetur, etiam ſub pœnis perpetuæ ſuſpenſionis a divinis, ne Presbyteri Græci Latino more, & Latini Græco ritu, ſub quovis licentiarum & facultatum Miſſas, & alia divina officia Græci Latino more, & Latini Græco ritu celebrandi ab Apoſtolica Sede, vel ejus Legatis, ac etiam majori Pœnitentiario pro tempore exiſtente prætextu, Miſſas, & alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præſumant*. Lege quæ ſcripſimus in lib. 24. c. 19. propoſ. 2. & quæ habet Eminentiſſimus Gotti in tract. de Euchar. quæſt. 1. dub. 5. §. 3.

C A P U T IV.

Num vino conſecrando miſcenda ſit aqua; & num hæc in Chriſti ſanguinem convertatur, & quomodo?

ARmeni merum vinum conſecrandum eſſe putabant, decepti falſa interpretatione quorundam verborum Chryſoſtomi hom. 83. in Matth. ubi refutat *Aquarios*. Contendunt Novatores mixtionem aquæ cum vino rem eſſe adiaphoram, ac vetuſtam miſcendi conſuetudinem his temporibus non præſcribere, & poſteaquam miſcendi ritus tanquam neceſſarius haberi

ri cœpit, prudenter præferri merum, ut ſuam in talibus libertatem oſtendant.

Duodecimo labente ſeculo nonnulli dixerunt, aquam vino mixtam, etiam poſt conſecrationem, in propria ſpecie remanere, vini accidentibus circumfuſam, & in Chriſti ſanguinem non converti. Plures denique Scholæ Doctores, antiqui præſertim, ſentiunt, aquam calici mixtam immediate converti prius in vinum, quam per conſecrationem in ſanguinem convertatur.

Propoſitio 1. Vino conſecrando paululum aquæ miſcendum eſt; non tamen de neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti; quod Eccleſiaſticum dumtaxat eſt, non divinum.

Probatur. Vinum aqua miſcendum eſſe in conſecranda Euchariſtia, conſtans Patrum traditio docet. Ac primo Juſtinus Martyr Apologia 2. pag. 97. commemorans oblationes, ex quibus conſecrabatur Euchariſtia, *Deinde*, inquit, *ei qui fratribus præeſt, offertur panis, & poculum aquæ & vini*; ſubditque pag. 98. *Panis offertur, & vinum & aqua.*

Irenæus lib. 4. adverſus hæreſes. c. 33. ait: *Accipiens Dominus panem, ſuum eſſe corpus confitebatur, & temperamentum calicis ſuum ſanguinem confirmavit.* Et lib. 5. c. 2. *Quando ergo & mixtus calix, & factus panis percipit verbum Dei, & fit Euchariſtia corporis & ſanguinis Chriſti.* Temperatus autem mixtuſque calix ille profecto eſt, in quo vinum ſimul continetur & aqua.

Cyprianus epiſt. 63. ad Cæcilium inter alia ſcribit: *Videmus in aqua populum intelligi, in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti. Quando autem*

cum per pronomen demonſtrativum formæ *hoc*, vel *hic* indicari non poſſit. Cæcus vero Sacerdos hoſtias, quas digno teſtimonio sciret coram ſe in altari conſtitutas, proculdubio conſecraret; cum illæ tunc morali præſentia, & juxta humanam æſtimationem adeſſent. Poſſunt etiam conſecrari hoſtiæ ante Sacerdotem poſitæ, etiamſi coopertæ ſint velo, atque etiamſi non aperiatur pixis continens particulas pro communione Fidelium. Ad moralem quippe præſentiam neceſſe non eſt, ut materia conſpiciatur oculis; alioqui nec pixide aperta conſecrarentur particulæ ſub aliis latitantes. Quod vero ad licitam conſecrationem pertinet, ſervandum eſt Eccleſiæ præceptum, quo tenetur Sacerdos, dum conſecrat, pixidem, calicemque detegere.

C A P U T III.

An in fermentato, vel in azymo pane perficienda ſit conſecratio?

MIchael Cerularius Patriarcha CP. ſeculo undecimo in Romanam debacchans Eccleſiam, effutivit non illicitam modo, ſed & irritam eſſe conſecrationem in azymo; Latinoſque per irriſionem *Azymitas* appellans, ab illorum ſe communione disjunxit. Cerularium ſecuti ſunt poſteriores Græci ſchiſmatici, quos ut breviter ac ſolide refellamus, tria hæc exponenda ſubjungimus, 1. an Chriſtus dum Eucha-

chariſtiam inſtituit, in fermentato, vel in azymo conſecraverit : 2. an in utroque pane valeat conſecratio: 3. an fermentatum, vel azymum panem cuique liceat adhibere?

Propoſitio 1. Chriſtus Euchariſtiam in azymo conſecravit.

Probatur. Chriſtus Euchariſtiam inſtituit prima die azymorum : ergo conſecravit in azymo. Conſequentia patet: Nam in prima azymorum die juxta præſcriptum legis, Exodi 12. Levitici 23. Num. 28. a Judæorum domibus auferebatur fermentum, ac ſolæ azymi panis placentæ menſis apponebantur: cum ergo Chriſtus, legis obſervantiſſimus, ea die Euchariſtiam inſtituerit, in legitimo pane, ideſt in azymo conſecravit. Probatur antecedens : Matth. 26. v. 17. legitur: *Prima autem die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha? At Jeſus dixit: Ite in civitatem ad quendam, &c. dicite ei: Magiſter dicit, Tempus meum prope eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis. Et fecerunt diſcipuli, ſicut conſtituit illis Jeſus, & paraverunt Paſcha. Veſpere autem facto, diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis... Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem... Et accipiens calicem, &c.* Similia habentur Marci 14. & Lucæ 22. Chriſtus igitur prima azymorum die, & in pane azymo Euchariſtiam inſtituit.

Bene itaque S. Leo Papa IX. in epiſt. ad prædictum Michaelem CP. Patriarcham ait : *Qui non venerat ſolvere legem ſed adimplere, juxta ipſius legis præceptum, & azymis & vino vetus Paſcha adimplevit, & protinus ex azymis & vino novum; ſicut aperte*

Lucas narrat, diſcipulis tradidit. Neque enim totis octo diebus illis fermentatum apparebat in omnibus finibus Iſrael, & apud quemcunque inveniebatur, peribat anima ejus de populo ſuo. Quod ſi in cœna Domini Jeſu apparuiſſet, aut ipſe, ſeu diſcipuli ejus, quoquo modo guſtaſſent, juſte ſicut prævaricatores legis perirent; nec ipſe Dominus diceret ſuis inſidiatoribus, Quis ex vobis arguet me de peccato? Nec opus eſſet falſos teſtes ad perdendum eum quærere, cùm hoc ſolo perderetur juſte.

At reſpondent Græci, Chriſtum antevertiſſe diem a lege præſcriptam, & celebraſſe ſupremam cœnam luna XIII. nondum ſublato fermento; ajuntque illum manducaſſe tunc quidem Paſcha legale cum azymis ritu Moſaicæ legis ſervato; poſtea vero inſtituiſſe Euchariſtiam in fermentato, ſive communi pane, nondum ea die prohibito. Id autem ita demonſtrant; I. quia Joannes c. 13. v. 1. ait, Dominum inſtituiſſe poſtremam cœnam, *Ante diem feſtum Paſchæ*, ideoque ante veſperam lunæ XIV. atque ante inchoatum primum azymorum diem, ſive Paſchalem ſolemnitatem, quæ *a veſpera ad veſperam* peragebatur juxta mandatum legis, Levit. 23. v. 32.

II. Idem Evangeliſta c. 18. v. 28. teſtatur, quod Judæi nondum Paſcha comederant feria ſexta, quæ proxime ſecuta eſt noctem, qua Chriſtus Euchariſtiam inſtituit; ait enim: *Erat mane: & ipſi non introierunt in Prætorium ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*. Chriſtus igitur qui jam Paſcha comederat, prævenit diem a lege ſtatutum.

III. Feria ſexta, qua crucifixus eſt Chriſtus,

ſtus, Joan. 19. v. 14. dicitur *Paraſceve Paſchæ*, id eſt, *præparatio*, ſive pridie ante Paſcha. Et dies Sabbati, qui diem mortis Chriſti ſubſecutus eſt, *magnus* dicitur ab eodem Joanne in citato cap. v. 31. non ob aliam ſane rationem, quam quod Paſchalis ſolemnitas, ſive prima azymorum dies in Sabbatum illud inciderat.

Reſp. ex dictis, credibile non videri, quod Chriſtus, ſtudioſus Moſaicæ legis cuſtos, eam tranſgredi in ſupremi Paſchatis celebratione voluerit, diem legitimum prævertendo: Deinde ſi id feciſſet, Judæorum Sacerdotes ipſum violatæ legis proculdubio accuſaſſent; quod a proditore Juda reſcire facile potuiſſent. Præterea paterfamilias, ad quem Chriſtus diſcipulos miſit, ut Paſcha pararent, domum ſuam minime commodaſſet, ne intempeſtiva legis tranſgreſſione Judæorum in ſe odium concitaret. Accedit inſuper, quod Chriſtus diſcipulorum rogatu juſſit parari Paſcha: at illi legitimum tempus celebrandi Paſcha ignorare non poterant; præſertim cum ſcribat Lucas c. 22. v. 7. *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha*. Poſtremo celebrandum erat Paſcha in domo a fermento purgata, ut legitur Exodi 12. v. 19. ergo etiamſi Chriſtus legitimum præveniſſet tempus, non tamen in fermentato Euchariſtiam confeciſſet. Lege Eſtium in objectum Joannis locum.

Ad 1. vero objectum prætermiſſis aliorum reſponſionibus breviter cum P. Berti reponimus, quod etſi cœna Paſchalis perageretur facto veſpere, & die XIV. exeunte, ac tunc inchoata foret legalis feſtivitas; Judæi tamen

feſtum Paſchatis peculiari titulo incipiebant a media nocte, illudque agebant proxima die quintadecima; quia Dominus percuſſit primogenitos in terra Ægypti *in noctis medio*, Exodi 12. v. 29. & Paſcha, ut ibidem legitur v. 27. erat *victima tranſitus Domini, quando tranſivit ſuper domos filiorum Iſrael in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos Iſraelitarum liberans.* Hinc ipſum *Paſchæ* nomen *tranſitum* ſignificat. Quod ergo ait Joannes, *Ante diem feſtum Paſchæ*, idem eſt, ac *ante mediam noctem:* unde in Græco, & in Syriaco legitur ſimpliciter, *Ante feſtum Paſchæ*.

Ad 2. Paſchæ nomen eo in loco non ſignificat Paſchalem agnum, ſed victimas ovium, juvencorum & boum, quæ per ſeptem azymorum dies offerebantur, & de quibus legitur Deut. c. 16. v. 2. *Immolabiſque phaſe Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus*. Ab hiſce victimis Judæi, ſi immundi erant, abſtinere debebant; ita enim præceperat Deus Levit. 22. v. 3. *Omnis homo, qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea, quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt filii Iſrael Domino, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino*. Vide Menochium, & Tirinum in hunc locum. Denique etiam ex Act. c. 12. v. 4. conſtat dies omnes azymorum *Paſcha* vocari.

Ad 3. Paraſceve Paſchæ ibi non denotat Paraſceve primæ diei azymorum, ſed ipſam primam azymorum diem, quæ erat Paraſceve Sabbati occurrentis inter azymorum dies, qui omnes dicti ſunt *Paſcha*. Legitur enim Marci 15. v. 52. *Erat paraſceve, quod eſt ante Sabbatum:* & Lucæ 23. v. 54. *Et dies erat paraſceves, & Sab-*

Sabbatum illuceſcebat. Et ſane ad *Paſcha* nulla erat Paraſceve, ſive ciborum præparatio; quoniam ex c. 12. Exodi v. 16. prima azymorum die licebat ea facere, *quæ ad veſcendum pertinent*; quod fieri Sabbato non licebat.

Tandem idcirco *magnus* dictus eſt dies ille Sabbati, quia cum intra feſta Paſchalia occurreret, erat admodum celebris ac ſolemnis, quum populus pacificas victimas offerens Templum adiret. Ut enim conſtat ex c. 7. Joan. v. 37. *magni* dicebantur dies feſti, in quibus populus cum holocauſtis & victimis coram Domino comparebat. Vide S. Bonaventuram Expoſitione in caput iſtud Joannis.

Objectant ulterius. Principes Sacerdotum ineuntes conſilium occidendi Chriſtum, dicebant Matth. 26. v. 5. *Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo*. Atqui ſi Chriſtus Paſcha, & Euchariſticam Cœnam luna XIV. in ſecundis veſperis celebraſſet, poſtridie in die feſto, in primo ſcilicet azymorum, actus fuiſſet in crucem.

Præterea narrat Evangelium plura in emortuali Chriſti die fuiſſe peracta, quæ in primo azymorum, celeberrimo ac ſancto, fieri omnino non poterant: armati milites ut Jeſum caperent; conſilium ſummo mane initum a Principibus Sacerdotum & ſenioribus populi; appellatio ad tribunal Romani Præſidis; repetita accuſatio; expoſtulatio & executio teterrimi ſupplicii; necatorum ſepultura; præparatio ſindonis, & aromatum pro exanimi Chriſti corpore condiendo.

Ad 1. reſpondemus cum Chryſoſtomo hom. 79. alias 80. in Matth. Principes Sacerdotum

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ira inflammatos ſuam poſtmodum mutaſſe ſententiam: *Cum dixiſſent enim*, Non in die feſto, *cum proditorem inveniſſent*, *de tempore non curarunt*, *ſed in ipſo feſto occiderunt*.

Ad alterum. Fatemur multas legis tranſgreſſiones a Principibus Sacerdotum factas, ut Jeſum perderent; at plura illi Gentium miniſterio peregerunt, ne viderentur tam aperte ſolemnitatem Paſchatis violare. Deinde Chriſto non ſemel mortem diebus ſolemnioribus intentarunt, Joan. 10. v. 31. in feſto Encœniorum, & in ipſa porticu Salomonis; & in feſto Tabernaculorum, c. 8. v. 59. Præterea narrat Matthæus c. 27. v. 62. & ſeq. *altera die*, *quæ eſt poſt paraſceven*, id eſt, die Sabbati, & ex Adverſariorum ſententia die Sabbati ſimul & Paſchatis, conveniſſe Principes Sacerdotum & Phariſæos ad Pilatum, rogantes, ut poneret milites ad cuſtodiendum ſepulcrum, acceptaque a Præſide facultate, ipſosmet appoſuiſſe cuſtodes, muniviſſe ſepulcrum, lapidemque ſignaſſe. Denique inſignes reos in ſolemnioribus diebus fuiſſe damnatos extremoque affectos ſupplicio, ex communi Rabbinorum traditione colligitur. Vide Druſium in c. 26. Matthæi.

Poſſe etiam in prima azymorum die mortuum ſepeliri, atque exerceri quidquid ad funus pertinet, emi ac parari ſindonem, haberi curationem cadaveris, & pollincturam, omniaque ad pietatis officia licite emi & vendi, ſcribit Rab. Jacob Ben-Judæ in libro *Agur* n. 651. Ad hæc, Tobiam quoque *in die feſto Domini* ſuſtuliſſe de platea unum ex filiis Iſrael jugulatum, ibique jacentem, ut illum in proximæ noctis ſilentio ſepeliret, legimus in libro

in-

inſcripto ejuſdem Tobiæ nomine c. 2. Poſtremo Deut. c. 21. v. 23. præcipitur, cadaver ejus qui in patibulo appenſus erat, *in eadem die* eſſe ſepeliendum. Reliqua huc ſpectantia argumenta leges apud Theologos alios qui hac de re prolixius pertractarunt; præſertim vero apud P. Berti in lib. 33. c. 1. & ſequentibus.

Propoſitio 2. Valide Euchariſtia conficitur, ſive fermentatus ſit panis, ſive ſit azymus.

Probatur ex Florentini Concilii definitione in Literis Unionis: *Definimus in azymo, ſive in fermentato pane triticeo Chriſti corpus veraciter confici*. Legitur etiam in Profeſſione Orthodoxæ fidei a Græcis facienda, & Græce ac Latine edita juſſu Gregorii XIII. *Item in azymo, ſive fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici*.

Quod vero ad fermentatum panem ſpeciatim attinet, Latini nunquam Græcorum ſacrificia reprobarunt, quod e fermentato pane conficiantur; imo Pius V. in Conſtitutione, *Providentia Romani Pontificis*, edita anno 1566. inhibuit, *ne deinceps Presbyteri Græci præcipue uxorati Latino more, & Latini Græco ritu Miſſas, & alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præſumant*. Quod prohibuit etiam Benedictus XIV. in Conſtitut. *Etſi Paſtoralis*, emanata anno 1742.

Tum valere Euchariſtiam in azymo ex ſupra dictis apparet, cum Chriſtus Dominus in azymo conſecraverit. Præterea nunquam Græci ante Michaelem Cerularium hac de re Latinam Eccleſiam accuſarunt, neque ipſe ſchiſmatis auctor peſtilentiſſimus Photius. Unde merito Leo IX. in epiſt. ad eundem Michae-

lem. ait: *Illud autem quis non ſtupeſcat, quod poſt tot ſanctos, & orthodoxos Patres per mille & viginti a paſſione Salvatoris annos novus calumniator Eccleſiæ Latinorum emerſiſti, publicam perſecutionem excitans, & anathematizans omnes, quicunque participes erunt ſacramentorum ex azymis?* Scribit etiam Innocentius III. de myſter. Miſſæ lib. 4. c. 2. quod Romana Eccleſia *ab ipſis beatis Apoſtolis Petro & Paulo, quos & vivos habuit, & defunctos cuſtodit, hunc ſacrificii ritum accepit, quem hactenus inviolabili cultu ſervavit.*

Poſtremo ex antiquis Patribus, etiam Græcis, infertur tantum, ad Sacrificium *panem* requiri; nec illorum quiſquam affirmat neceſſario exigi fermentatum: imo Chryſoſtomus hom. 81. in Matth. docet Dominum, antequam pateretur, comediſſe *Paſcha legale*. Theodoretus quoque in Danielem Prophetam ſcribit, *Panis dicitur fermentatus & azymus*: quod Græcis objicit Auctor Explanationis definitionum Synodi Florentinæ.

At opponunt 1. Græci. Nefas eſt legales ſervare ritus, poſtquam gratiæ tempus illuxit: atqui ad legales ritus azymi pertinebant. II. Panis quem Chriſtus cœnæ accumbens accepit, dicitur ἄρτος, Matth. 26. v. 26. Interpretatur autem ἄρτος ſurſum elevatus; quod fit vi fermenti ac ſalis. Nec azymus vere dicitur *panis*; cum nihil diſtet a lapide, lutumque aridum videatur. III. Chriſtus eſt Sacerdos *ſecundum ordinem Melchiſedech*: at iſte panem & vinum Deo obtulit, antequam Moſaica lex azymum imperaret.

Reſp. ad 1. cum S. Thoma in p. 3. q. 74. a. 4. ad

4. ad 2. *quod conficientes ex azymo non intendunt ceremonias legis ſervare, ſed conformare ſe inſtitutioni Chriſti; & ideo non judaizant: alioquin & celebrantes in pane fermentato, judaizarent, quia Judæi panes primitiarum fermentatos offerebant:* Lege Levitici c. 23. v. 17. Notat inſuper hac in re S. Bonaventura in 4. d. 11. p. 2. a. 2. q. 1. quòd Chriſtus in azymo Euchariſtiam inſtituens, *de lege non retinuit, ſed de novo inſtituit; ſicut patet de baptiſmo, quia illi aqua luſtrabantur, & nos aqua luſtramur: ſed ſic inſtituit, quia Sacramento congruebat*. De hujuſmodi congruentia lege Catechiſmum Rom. p.2.c.4.n.13. & Seraph. Doctorem eodem in loco.

Ad 2. Moyſes Deut. 16. v. 3. ipſum azymum appellavit ἄρτον, ſive Hebraice לחם, *lechem*; quo vocabulo Hebræi tam communem panem ſignificant, quam manna, & ſubcinericias placentulas, paneſque propoſitionis, quos *abſque fermento* fuiſſe conſtat ex Levit. 2. v. 5. Lege Gen. c. 18. v. 6. & c. 19. v. 3. & Exodi c. 16. v. 15. & c. 25. v. 30. Citati etiam propoſitionis panes Matth. 12. v. 4. dicuntur ἄρτοι: & Græcus Athenæus in tertio Dipnoſophiſtarum de variis panum generibus differens ἄρτους ſingulos nominavit.

Ad 3. Græci non facile nobis demonſtrabunt, cujus generis panes Melchiſedechus obtulerit; qui in vino, & in pane tum fermentato, tum azymo potuit Euchariſtiæ ſacrificium præfigurare. Accidentale enim dumtaxat diſcrimen inter utrumque panem intercedit, uti ex ſupra dictis apparet.

Propoſitio 3. Non licet Græcis azymum, neque Latinis fermentatum pro libito conſecrare. Patet id ex Literis Unionis in Florentino Con-

ci-

cilio, & ex pluribus Romanorum Pontificum decretis, quæ recenſuit, & innovavit Benedictus XIV. in laudata ſuperius Conſtitutione ſuper ritibus Græcorum §. 6. n. 10. ubi *diſtrictius inhibetur, etiam ſub pœnis perpetuæ ſuſpenſion s a divinis, ne Presbyteri Græci Latino more, & Latini Græco ritu, ſub quovis licentiarum & facultatum Miſſas, & alia divina officia Græci Latino more, & Latini Græco ritu celebrandi ab Apoſtolica Sede, vel ejus Legatis, ac etiam majori Pœnitentiario pro tempore exiſtente prætextu, Miſſas, & alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præſumant*. Lege quæ ſcripſimus in lib. 24. c. 19. propoſ. 2. & quæ habet Eminentiſſimus Gotti in tract. de Euchar. quæſt. 1. dub. 5. §. 3.

CAPUT IV.

Num vino conſecrando miſcenda ſit aqua; & num hæc in Chriſti ſanguinem convertatur, & quomodo?

ARmeni merum vinum conſecrandum eſſe putabant, decepti falſa interpretatione quorundam verborum Chryſoſtomi hom. 83. in Matth. ubi refutat *Aquarios*. Contendunt Novatores mixtionem aquæ cum vino rem eſſe adiaphoram, ac vetuſtam miſcendi conſuetudinem his temporibus non præſcribere, & poſteaquam miſcendi ritus tanquam neceſſarius haberi

ri cœpit, prudenter præferri merum, ut ſuam in talibus libertatem oſtendant.

Duodecimo labente ſeculo nonnulli dixerunt, aquam vino mixtam, etiam poſt conſecrationem, in propria ſpecie remanere, vini accidentibus circumfuſam, & in Chriſti ſanguinem non converti. Plures denique Scholæ Doctores, antiqui præſertim, ſentiunt, aquam calici mixtam immediate converti prius in vinum, quam per conſecrationem in ſanguinem convertatur.

Propoſitio 1. Vino conſecrando paululum aquæ miſcendum eſt; non tamen de neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti; quod Eccleſiaſticum dumtaxat eſt, non divinum.

Probatur. Vinum aqua miſcendum eſſe in conſecranda Euchariſtia, conſtans Patrum traditio docet. Ac primo Juſtinus Martyr Apologia 2. pag. 97. commemorans oblationes, ex quibus conſecrabatur Euchariſtia, *Deinde*, inquit, *ei qui fratribus præeſt, offertur panis, & poculum aquæ & vini*; ſubditque pag. 98. *Panis offertur, & vinum & aqua.*

Irenæus lib. 4. adverſus hæreſes c. 33. ait: *Accipiens Dominus panem, ſuum eſſe corpus confitebatur, & temperamentum calicis ſuum ſanguinem confirmavit.* Et lib. 5. c. 2. *Quando ergo & mixtus calix, & factus panis percipit verbum Dei, & fit Euchariſtia corporis & ſanguinis Chriſti.* Temperatus autem mixtuſque calix ille profecto eſt, in quo vinum ſimul continetur & aqua.

Cyprianus epiſt. 63. ad Cæcilium inter alia ſcribit: *Videmus in aqua populum intelligi, in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti. Quando autem*

tem in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur; & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur & conjungitur. Quæ copulatio, & conjunctio aquæ & vini ſic miſcetur in calice Domini, ut commixtio illa non poſſit ab invicem ſeparari. Hanc Cypriani epiſtolam citat & approbat Auguſtinus in lib. 4. de Doct. Chriſt. c. 21. qui inſuper tract. 120. in Joan. n. 2. de aqua e latere Chriſti fluente inquit: *Aqua illa ſalutare temperat poculum*.

Tandem Ambroſius lib. 4. de Sacram. c. 4. ait: *Ergo didiciſti quod ex pane corpus fiat Chriſti; & quod vinum & aqua in calicem mittitur; ſed fit ſanguis conſecratione verbi cœleſtis*.

Idem ex Conciliorum definitione colligitur. Carthaginenſis III. & Florentini verba ſupra in 2. cap. retulimus, addimus hic Tridentini doctrinam qua etiam mixtionis hujuſce rationem exponit in ſeſſ. 22. cap. 7. *Monet Sancta Synodus præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent; tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua ſimul cum ſanguine exierit, quod ſacramentum hac mixtione recolitur: & cum aquæ in Apocalypſi B. Joannis populi dicantur, ipſius populi fidelis cum capite Chriſto unio repræſentatur*.

Aquam vero calici infundendam eſſe in modica quantitate probatur ex Florentino Concilio in Inſtructione Armenorum ajente, quod vino *ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet*. Conſtat & ex Honorio III. qui cap. *Pernicioſus*, *De celebr. Miſſarum*, nonnullos, qui plus aquæ quam vini calici infundebant, ita perſtringit: *Pernicioſus inolevit abuſus*,

ſus, videlicet, quod in majori quantitate de aqua ponitur in ſacrificio, quam de vino; cum ſecundum rationabilem conſuetudinem Eccleſiæ generalis plus in ipſo ſit de vino, quam de aqua ponendum. Hujus autem rei rationem quidam ex eo repetunt, quod, uti dictum eſt, vino Chriſtus, aqua vero fidelis populus denotetur: decet autem, ut expreſſius ſignificetur Chriſtus, quam populus illi conjunctus.

Quod denique ad Sacramenti neceſſitatem commixtio illa non ſpectet, indubium eſt. Nam *genimen vitis*, quod in Evangelio pro calicis materia ponitur, eſt vinum, etiamſi nulla ſit aqua dilutum. Et Cyprianus in citata ſuperius ad Cæcilium epiſtola ſcribit, eſſe *ſanguinem Chriſti*, ſi vinum ſine aqua fuerit conſecratum. Florentinum quoque Concilium Armenos non miſcentes aquam vino reprehendit, non quod invalide conficerent, ſed quod *ſe cum univerſo Orbe Chriſtiano minime conformarent*. Poſtremo ſi quis poſt conſecrationem advertat ſe aquam vino non miſcuiſſe, non debet conſecrato calici aquam infundere, ex Rubricis Miſſalis tit. *De defectu vini* n. 7. ideoque non ſpectat aqua ad materiam eſſentialem; alioquin poſt conſecrationem apponenda foret, & conſecranda; quemadmodum apponendum & conſecrandum eſt vinum, ſi Sacerdos *poſt verba conſecrationis advertat vinum non fuiſſe poſitum, ſed aquam*, ex eodem titulo n. 4. Vide etiam Catechiſmum Rom. in p. 2. c. 4. n. 17.

Sola ergo neceſſitate præcepti aqua vinum Euchariſticum temperandum eſt: iſtud vero præceptum non eſt divinum, cum neque in Evangelio, neque in Apoſtolicis epiſtolis inve-

veniatur; ac Tridentina Synodus laudato in loco aperte affirmat, *præceptum eſſe ab Eccleſia*, *&c.* Adverſus autem jactatam a Novatoribus in obſervatione ſacrorum rituum libertatem legenda ſunt quæ ſcripſimus in lib. 24. c. 19.

Propoſitio 2. Aqua vino permixta in Chriſti ſanguinem convertitur. Ita communiter Theologi docent, licet eorum plures affirment aſſertionem iſtam ad fidem immediate non pertinere.

Probatur ex verbis conſecrationis ſuper vinum aqua temperatum prolatis, in quibus *abſolute*, & abſque ulla exceptione Sacerdos ait, *Hic eſt enim calix ſanguinis mei*, ſtatimque quidquid in calice eſt, Deo offert, ac exhibet populis adorandum; quod utique argumento eſt, aquam vino permixtam, ſimul cum ipſo in ſanguinem fuiſſe converſam.

Affirmant præterea Patres, conſecratione peracta nil præter Chriſti ſanguinem in calice contineri. Ita expreſſe tradunt Irenæus, & Ambroſius ſupra laudati, quibus adde Auguſtinum ſerm. 227. alias 83. de diverſis ajentem: *Calix ille*, *imo quod habet calix*, *ſanctificatum per verbum Dei*, *ſanguis eſt Chriſti*. Accedit & Damaſcenus qui in lib. 4. de fide orthodoxa c. 13. ſcribit, *vinum & aquam per Spiritus Sancti invocationem*, *& adventum*, *modo qui naturæ viribus & conditione ſublimior eſt*, *in Chriſti corpus & ſanguinem converti*. Denique Paſchaſius Ratbertus in lib. 1. de Corpore Chriſti c. 11. ſcribit: *Aqua conſecratur*, *non quod aqua permaneat*, *ſed vertatur in ſanguinem*. Vide Berti, Gotti, Tournely, alioſque.

Propoſitio 3. Incertum eſt, num aqua prius in

in vinum, quam in Chriſti ſanguinem convertatur.

Etſi enim veteres multi recentioreſque Scholaſtici ita paſſim affirment, nullum tamen evidens firmumque momentum hactenus invenerunt, quo demonſtrare potuerint, totalem contingere ſenſibilium affectionum tranſmutationem in aqua, dum vino miſcetur; imo tritiſſima Phyſicorum experientia non obſcure probare videtur oppoſitum. Illi enim obſervant aquam a vino, cui fuit immixta, ſejungi: & quanquam reponant Adverſarii aquam eam non eſſe, ſed tenuiores debilioreſque vini particulas; contrarium tamen viſu, guſtu, olfactu deprehenditur. Hinc & ipſe Innocentius III. cap. *Cum Marthæ*, §. *Quæſiviſti*, recitata Adverſariorum opinione, e veſtigio ſubdit: *Licet Phyſici contrarium aſſeverent, qui aquam a vino per artificium poſſe aſſerunt ſeparari.*

Neque quis temere Peripateticis aſſentietur ajentibus, vinum convertere quidem aquam in ſui naturam, non ita tamen ut viventia nutriuntur cibis, aut ignis lignum tranſmutat, alias ſcilicet activas acquirendo partes, ſed ſubtiliores, activioreſque ſpiritus amittendo, quibus deperditis efficax vis ejus imminuitur, neque ſemper ſucceſſive poteſt quamlibet aquæ quantitatem in ſui ſpeciem immutare.

Poſtremo, dum Patres de calicis conſecratione loquuntur, nullum afferunt diſcrimen inter modum illum quo vinum, & illum quo aqua convertitur; putarunt itaque utrumque in Chriſti ſanguinem immediate converti. Idque firmatur ex eo quod ſi aqua prius mutaretur in vinum, non ipſa aqua, ſed ſolum vinum in ſan-

ſanguinem mutari dicendum eſſet ; cum antequam conſecratio fieret , aqua jam in vinum converſa, non amplius eſſet aqua, ſed vinum.

Objicies contra 1. propoſ. Non poteſt ex Scripturis oſtendi , quod Chriſtus aqua vinum temperaverit : ergo perperam nos aquam vino conſecrando miſcemus . Deinde Melchiſedech in ſuo ſacrificio , quod Euchariſticum Chriſti ſacrificium figuravit, non aquam obtulit , ſed vinum dumtaxat, & panem . Denique Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. ait : *Cujus rei gratia non aquam , ſed vinum ? Pernicioſam quandam hæreſim radicitus evellere voluit eorum, qui aqua in myſteriis utuntur.*

Reſp. ad 1. non ſolam Scripturam ſervaſſe nobis rerum a Chriſto geſtarum notitiam, cum multa ipſe fecerit , quæ in Evangeliorum libris ſcripta non ſunt , ſed ex Patrum traditione ſunt nota . Quod ſi quæſieris , cujus rei cauſa miſcuit ; reſpondebimus , ob myſticam ſignificationem , & ob temperantiæ exemplum ; ac juxta quorundam opinionem, ob id etiam miſcuit , quia in Paſchali cœna temperatum aqua vinum Judæi ex communi ritu bibebant. Lege S. Bonaventuram in c. 22. Lucæ v. 20.

Ad 2. reponimus cum S. Thoma in p. 3. q. 74. a. 6. ad 1. *quod ſicut Ambroſius dicit in lib. 4. de Sacram. c. 1. ſicut ſacrificium Chriſti ſignificatum eſt per oblationem Melchiſedech, ita etiam ſignificatum eſt per aquam, quæ in eremo fluxit de petra , ſecundum illud primæ Corinth.* 10. *Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra.*

Ad 3. Recte Patres Concilii Trullani can. 32.

32. notarunt Chryſoſtomum ibi ex profeſſo damnare Aquarios, non Græcos omnes Latinoſque Catholicos aquam vino miſcentes. *Ipſe enim* (ajunt citati Patres) *ſuæ Eccleſiæ, ubi eſt illi paſtoralis adminiſtratio tradita, aquam vino miſcendam tradidit, quando incruentum peragi ſacrificium oportet.*

Objicies 2. contra alteram ejuſdem propoſitionis partem. Illud eſt neceſſarium neceſſitate ſacramenti, divinique præcepti, quod a Chriſto inſtitutum eſt ac præceptum, & ſine quo Euchariſticus calix conſecrari non poteſt: atqui ejuſmodi eſt mixtio aquæ. Probatur minor ex S. Cypriano qui in epiſt. 63. ad Cæcilium diſerte ſcribit, Chriſtum aqua calicem temperaſſe, atque ita faciendum Apoſtolis præcepiſſe. Ait inſuper, quod *ſic in ſanctificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt*. Addit denique: *Sic vero calix Domini non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi utrumque ſimul miſceatur; quomodo nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, aut aqua ſola, niſi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage ſolidatum.* Atqui farina ſola nequit valide conſecrari; ergo neque ſolum vinum.

Reſp. S. Cyprianum, dum Chriſti inſtitutionem præceptumque commemorat, non ad aquam reſpicere, ſed ad vinum. Loquitur enim adverſus eos, qui in ſacrificiis matutinis ſolam aquam adhibebant, ne per vini ſaporem Chriſti ſanguinem redolerent; eoſdemque redarguit, quia *ſanguis Chriſti, non aqua eſt utique, ſed vinum; & vini mentio ideo ponitur, ut Domini ſanguis intelligatur*. Quibus profecto

verbis S. Doctor dumtaxat in vino ſacramenti neceſſitatem agnoſcit,

Dum vero ait, non poſſe aquam ſolam offerri, quomodo nec vinum ſolum; non eandem neceſſitatis cauſam, rationemque deſignat. Aqua enim ſola offerri non poteſt; quia alioquin conſecratio minime perficietur, nam *plebs incipit eſſe ſine Chriſto*. Vinum autem ſolum offerri nequit; quia alioquin Chriſti & fidelium unio minime denotabitur; quæ ſane myſtica ſignificatio ad ſubſtantiam Euchariſtiæ non pertinet; idque indicat S. Martyr ibidem verbis iſtis: *Si vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis*.

Denique oportet aquam tam cum farina, quam cum vino miſceri, ad ſignificandam Chriſti & fidelium unionem; eo tamen admiſſo diſcrimine, quod cum farina ſine aqua nequeat eſſe panis, farina ſola non eſt idonea Sacramenti materia; cum vero vinum ſine aqua *vinum* ſit, etiam ſine aqua calix valide conſecratur.

Poſtremo ſubjungimus, quod licet Chriſtus vinum cum aqua miſcuerit, non tamen inferri inde poteſt aut ſacramenti neceſſitas, aut divinum præceptum, ut nos etiam aquam calici miſceamus. Non enim omnia quæ Chriſtus egit, nobis agenda mandavit. Sicut ipſe etſi poſt paſchalem cœnam, facto veſpere, & exiſtentibus tantum azymis Euchariſtiam confecerit; nobis tamen minime præcepit, ut ſimiliter ageremus. Vide S. Bonaventuram in 4. d. 11. p. 2. a. 1. q. 3.

Objicies 3. contra 3. propoſ. Illud in Chriſti ſanguinem immediate convertitur, quod eſt eſ-

eſſentialis materia calicis: atqui hujuſmodi non eſt aqua, ſed vinum: ergo ſi aqua convertitur in Chriſti ſanguinem, prius converti debet in vinum.

Reſp. diſtinguo majorem, illud immediate convertitur ratione ſui, utque ajunt, *primario*; concedo: ratione vini cui miſcetur, & *ſecundario*, nego majorem. Quamvis enim vinum dumtaxat ſit eſſentialis materia calicis, ſine qua conſecratio perfici nequit; aqua tamen eidem vino permixta eſt materia accidentalis & integrans, quæ in Chriſti ſanguinem immediate converti *de concomitanti*, & *ſecundario* poteſt, quia pars eſt uſualis potus quem in Euchariſtica cœna uſurpat Eccleſia. Sicut etiam, inquit Tournely, fermentum quod Græci pani triticeo miſcent, immediate convertitur in Chriſti corpus, quia pars eſt panis uſualis; quamvis ipſum in ſe ad validam conſecrationem eſſentialiter, & neceſſario non concurrat.

Inſtabis. Si aqua dum vino miſcetur, in vini naturam non tranſiret, antequam converteretur in ſanguinem, ſequeretur, quod ſi ſpecies aquæ a ſpeciebus vini phyſico aliquo artificio ſepararentur, aut vino aceſcente accidentia aquæ perſiſterent, ſub iis tantum ſervaretur Chriſti ſanguis; quod omnino videtur commentitium & abſurdum.

Reſp. quod cum aqua ſit idonea Sacramenti materia, non ratione ſui, ſed quatenus permixta vino; ſi a vini ſpeciebus aquæ ſpecies ſejungerentur, non poſſent hæ retinere ſacramenti rationem, & Chriſti ſanguinem continere præſentem. Similiter ſi vinum in acetum abiret, aqua quæ remaneret, Chriſti ſanguinem

continere non poſſet; cum eſſentialis materia calicis, vinum ſcilicet, defeciſſet.

Objicies 4. Innocentius III. cap. *Cum Marthæ*, referens opinionem quæ dicit aquam in ſanguinem converti, refert etiam fundamentum, cui illa innititur, inquiens: *Cum aqua in vinum tranſeat mixta vino*. Deinde relatis duabus aliis opinionibus, addit: *Verum inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ aſſerit, aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari*; ideſt, aquam prius converſam in vinum, ut aſſerebat opinio, quam probavit. Idem quoque Pontifex in lib. 4. de Myſteriis Miſſæ c. 30. aperte ſic ait: *Quis enim ambigat, aquam in vinum tranſire, cum multo vino modicum infunditur aquæ?*

Reſp. Innocentium priori in loco probabiliorem appellare citatam opinionem, quatenus aſſerit aquam in ſanguinem tranſmutari; non vero prout affirmat aquam prius in vinum converti quam in ſanguinem: de hoc enim conſultus non fuerat a Joanne quondam Lugdunenſi Archiepiſcopo cui reſcribit. Hinc dum opinionem illam profert, ejuſdem quidem fundamentum adducit, nempe idcirco aquam converti in ſanguinem, quia juxta opinionis hujuſce patronos, mixta vino tranſit in vinum; dum vero in fine reſponſionis ait, inter prædictas opiniones hanc videri probabiliorem quæ docet aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari, ne verbum quidem apponit quo ejus approbet fundamentum. Hoc ergo ſilentio Pontifex non obſcure ſignificat, ob id tantum adductam opinionem ſibi probabiliorem videri, quod admittat aquæ in ſanguinem converſionem,

de

de qua una fuerat requiſitus; quidquid interim ſit de modo quo converſio illa contingat: quamvis, uti ex altero objecto loco nobis inferri videtur, negari non poſſit, Innocentium in communem Peripateticorum propendiſſe ſententiam.

CAPUT V.

De forma Euchariſtiæ.

VErba quibus panis ac vinum Euchariſticum conſecratur, trito in Scholis vocabulo Euchariſtiæ forma dicuntur; de qua hoc in capite differentes, varios Novatorum refellemus errores. Bucerus enim in c. 26. Matthæi opus non eſſe ſcribit quod in Euchariſtia verba aliqua proferantur. Calvinus in lib. 4. Inſtit. c. 17. verba quidem pronuncianda eſſe fatetur, non tamen ad conſecrandum dona, ſed ſolum ad fidem populi excitandam. Lutherus in lib. de abroganda Miſſa privata, quandam conſecrationis vim verbis attribuit, at non iis ſolis, quæ Dominum protuliſſe credimus, ſed etiam aliis ea præcedentibus aut conſequentibus, a Sacerdote prolatis. Plures præterea Græci contendunt non ſolum Dominicis verbis, verum & precibus quæ antea vel poſtea recitantur, Euchariſtiam a Sacerdotibus conſecrari.

Ex Scholaſticis vero nonnulli cum Cathari-

no dixerunt, Chriſtum interna & occulta benedictione, ſine ullis verbis, conſecraſſe per ſuam *excellentiæ* poteſtatem, nihilo tamen minus præſcripſiſſe formam a Sacerdotibus adhibendam. Quidam inſuper ex Scotiſtis affirmarunt, ea verba, *Hoc eſt corpus meum*, & *Hic eſt ſanguis meus*, ad conſecrationem non ſufficere, ſed requiri, ut præcedentia proferantur, *Qui pridie quam pateretur*, &c. Aliqui poſtremo Thomiſtæ ſcripſerunt, verba omnia quæ a Latinis in calicis conſecratione dicuntur, ad formæ ſubſtantiam pertinere.

Propoſitio 1. Chriſtus Dominus non occulta benedictione, ſed exterioribus uſus eſt verbis, dum Euchariſtiam conſecravit.

Probatur. Matth. 26. Marci 14. & Lucæ 22. ac demum in 1. ad Cor. c. 11. legitur, Chriſtum in Euchariſtiæ inſtitutione conſecrationis verba dixiſſe, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*; ſimulque iſtud addidiſſe præceptum, *Hoc facite in meam commemorationem.* Iiſdem ergo verbis conſecrant Sacerdotes, quibus conſecravit & Chriſtus; adeoque non occulta tantum benedictione &c.

Veterum deinde auctoritate theſis iſthæc adſtruitur. Ex Latinis Tertullianus in lib. 4. contra Marcionem c. 40. ſcribit: *Accepit panem, & diſtributum diſcipulis corpus illum ſuum fecit dicendo: Hoc eſt meum corpus.* Ambroſius in lib. de Myſteriis c. 9. *Ipſe clamat Dominus Jeſus: Hoc eſt corpus meum. Ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur; poſt conſecrationem Corpus ſignificatur*, &c. Similia habet Auguſtinus ſerm. 227. alias 83. de diverſis.

Ex

Ex Græcis autem Irenæus lib. 4. adverſus hæreſes c. 17. alias 32. ait: *Eum qui ex creatura panis eſt, accepit*, Chriſtus, *& gratias egit dicens: Hoc eſt corpus meum*. Chryſoſtomus hom. 2. in 2. epiſt. ad Timoth. *Quemadmodum*, inquit, *verba quæ protulit Chriſtus, eadem ſunt, quæ Sacerdos nunc quoque pronunciat, ita & oblatio eadem eſt*. Denique Damaſcenus lib. 4. de fide c. 13. ita perſpicue loquitur: *In principio dixit*, Deus, *Producat terra herbam virentem; & ad hanc uſque diem, accedente imbre, divino præcepto impulſa & roborata, fœtus ſuos profert. Dixit perinde Deus, Hoc eſt corpus meum, &, Hic eſt ſanguis meus, &, Hoc facite in meam commemorationem; idque omnipotenti ejus præcepto, donec veniat, efficitur*.

Prætetea Synodus Tridentina ſeſſ. 13. cap. 1. ſcribit: *Majores noſtri omnes . . . . apertiſſime profeſſi ſunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima cœna Redemptorem noſtrum inſtituiſſe; cum poſt panis vinique benedictionem, ſe ſuum ipſius corpus illis præbere, ac ſuum ſanguinem diſertis, ac perſpicuis verbis teſtatus eſt: quæ verba a ſanctis Evangeliſtis commemorata, a divo Paulo poſtea repetita ſunt*. Chriſtus igitur Euchariſtiam inſtituit, & conſecravit non per benedictionem, ſed per verba poſt benedictionem prolata, quæ profecto ſunt illa: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*.

Propoſitio 2. Conſecratur Euchariſtia a Sacerdotibus per ſola Chriſti verba, non per preces, quæ antea, vel poſtea proferuntur.

Probatur. Ex textibus jam adductis apparet, Sacerdotes nunc ipſis conſecrare verbis, quæ

Chriſtus protulit, quæ Evangeliſtæ commemorant, quæ recenſet Apoſtolus: ergo Euchariſtia ſolis Chriſti verbis a Sacerdotibus conſecratur; nam preces non a Chriſto, ſed ab Eccleſia inſtitutæ fuerunt. Hinc S. Ambroſius in lib. 4. de Sacram. c. 4. a verbis conſecrationis expreſſe ſejungit preces, & quidquid aut orando, aut narrando profertur, inquiens: *Conſecratio autem quibus verbis eſt, & cujus ſermonibus? Domini Jeſu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur in ſuperioribus, a Sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris: ubi venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus utitur Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti. Ergo ſermo Chriſti hoc conficit Sacramentum.* Et ibidem c. 5. clarius exponens Chriſti ſermonem, & verba conſecrationis, ait: *Illa verba Evangeliſtæ ſunt uſque ad Accipite: inde verba ſunt Chriſti.*

Conſonat & Nyſſenus qui in magna Orat. Catech. c. 37. de pane ſic loquitur: *Statim in corpus Verbi tranſmutatur, ſicut dictum eſt a Verbo, Etenim hoc eſt corpus meum.* Chryſoſtomus item hom. 1. de proditione Judæ n. 6. ait: *Hoc meum eſt corpus, inquit Sacerdos: hoc verbum propoſita in aliam formam convertit.*

Id inſuper ex Florentina Synodo comprobatur, quæ in Decreto unionis hæc habet: *Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum.*

Refelluntur præterea Græci ex ſuis etiam Liturgiis, quæ omnes formam conſecrandæ Eu-

Euchariſtiæ in verbis Dominicis ſtatuunt, in adjectis autem precibus plurimum diſcrepant: quod invicte demonſtrat eſſe in his humanam & variabilem inſtitutionem, non immutabilem & a Chriſto ſancitam. Poſtremo in receptis Græcorum Liturgiis, cum Sacerdos alta voce pronunciavit Chriſti verba, populus uno ore reſpondet, *Amen*. Qua reſponſione profitetur ita revera eſſe, quod protulit Sacerdos; panem nempe vinumque tranſiſſe in Chriſti corpus & ſanguinem.

Propoſitio 3. Ea dumtaxat verba, *Hoc eſt corpus meum*, &, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, vel, *Hic eſt ſanguis meus*, ad conſecrationem eſſentialiter requiruntur.

Id conſtat ex dictis. Nam Patres ea tantum verba commemorant; iiſdemque ſolis ſufficienter, & efficaciter converſio panis in corpus, & vini in ſanguinem denotatur. Et ſane verba illa, *Qui pridie quam pateretur*, hiſtoricam rei geſtæ narrationem continent, non ad conſecrationis formam pertinent; neque Chriſti, ſed Evangeliſtæ ſunt verba. Ea vero, *Accipite & manducate*, *Accipite & bibite*, non conſecrationem, ſed uſum Euchariſtiæ ſignificant. Inſuper particula *enim* ad orationis nexum, non ad materiei tranſmutationem adjungitur. Poſtremo verba illa., *Novi & æterni teſtamenti &c.* quæ a nobis recitantur, in pluribus Liturgiis omittuntur; neque Euchariſtiæ conſecrationem, ſed Chriſti Domini crucifixionem, ac redemptionem, ejuſdemque paſſionis commemorationem, & fructum oſtendunt. Ea igitur dumtaxat verba, &c.

Quod tandem præfata verba non concionandi, ſed conſecrandi vim habeant, li-

liquet ex dictis in lib. 24. c. 3. probaturque etiam ex ſupracitatis SS. Patrum auctoritatibus, quæ affirmant per arcana verba panem & vinum in Chriſti corpus ſanguinemque converti.

Objicies 1. contra 1. propoſ. Uti ex Evangelio patet, Chriſtus prius panem vinumque benedixit, quam verba proferret: Benedictio autem, & conſecratio idem eſſe videntur, cum ſcribat Apoſtolus in 1. ad Cor. c. 10. v. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?*

Reſp. cum S. Bonaventura in 4. d. 8. p. 1. a. 2. q. 3. *quod benedictio illa non fuit conſecratio, ſed fuit quædam præparatio, vel magis quædam orationis, ſive gratiarum actionis præmiſſio, in qua oſtendit nobis nullum cibum attrectandum, niſi prævia benedictione*. Servavit inſuper eo ritu Chriſtus Judæorum morem, qui panem cum gratiarum actione frangebant. Non ergo in citatis textibus benedictio id ſignificat quod myſtica dona conſecrat & immutat, ſed deſignat orationem ſive apprecationem factam ſacris muneribus conſecrandis; quod etiam ex ſupra laudatis Tridentini verbis eruitur. Lege Eſtium comment. in citatum locum ad Corinthios, & in Matth. c. 26. v. 26.

Objectare ſolent pariter quod legitur Marci 14. v. 23. *Accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex eo omnes: & ait illis: Hic eſt ſanguis meus*. Verum, uti notat Auguſtinus in lib. 2. de conſenſu Evangeliſt. c. 30. 31. & 44. Evangeliſtarum mos eſt per anticipationem narrare prius, quod poſterius, vel ſimul evenit.

Si demum objeceris, Innocentium III. in lib. 4. Myſter. Miſſæ c. 6. ita ſcripſiſſe: *Sane dici*

dici poteſt, quod Chriſtus divina virtute confecit, & poſtea formam expreſſit, ſub qua poſteri benedicerent. Ipſe namque per ſe virtute propria benedixit: nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis: Reponemus I. Innocentium hæc ſcripſiſſe antequam in Rom. Pontificem eſſet electus. II. ejus verba *ſunt opinative magis dicta, quam determinative*; ut ait S. Thomas in p. 3. q. 78. a. 1. ad 1. III. ex citato textu inferri ſolum poteſt, ſententiam quam in 1. propoſitione tuemur, etſi vera ſit, ad fidem tamen minime pertinere, nulloque Eccleſiæ decreto definitam fuiſſe; quod Berti, Tournely, aliique Cl. Viri notarunt.

Objicies 2. contra 2. propoſ. Plura ſunt Patrum teſtimonia, quæ non obſcure docere videntur Euchariſtiam confici precibus Sacerdotis. Ita inter alios S. Hieronymus in epiſt. 101. alias 85. ad Evangelum de Sacerdotibus ait: *Ad quorum preces Chriſti corpus, ſanguiſque conficitur*. Et Auguſtinus in lib. 3. de Trin. c. 4. Euchariſtiam id eſſe affirmat, *quod prece myſtica conſecratum ſumitur ad ſalutem*.

Reſp. Euchariſtiam precibus conſecrari, *diſpoſitive* dumtaxat & *concomitanter*, non vero *formaliter*: etſi enim preces vim conſecrandi non habeant, ſine tamen illis ſacra myſteria minime peraguntur. Deinde ipſa Chriſti verba a Sacerdote prolata non ſuo, ſed Chriſti nomine, preces recte dicuntur, cum ſemper implicitam divinæ virtutis invocationem includant. Hoc in ſenſu ſcribit Auguſtinus in lib. 5. de Bapt. c. 20. *Quomodo exaudit*, Deus, *homicidam deprecantem vel ſupra aquam baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper euchariſtiam, vel ſuper ca-*

capita eorum quibus manus imponitur?

Objicies 3. In Miſſa Chryſoſtomi poſt ea Chriſti verba, *Hoc eſt corpus meum*, adhuc Deum Sacerdos orat dicens, *Emitte Spiritum tuum Sanctum in nos, & ſuper propoſita dona iſta;* ac paulo poſt ſubjungit: *Fac quidem panem hunc, pretioſum corpus Chriſti tui*. Similia inveniuntur in Liturgiis Jacobi, Marc , Clementis, & Baſilii, uti teſtantur Goar.u , Arcudius, Allatius, aliique.

Præterea, in Liturgia Baſilii poſt arcan um verborum recitationem habetur oratio, quæ incipit, *Propter h* , in qua panis & vinum appellantur *Antitypa, ac ſymbola præſignantia ſanctum corpus, ac ſanguinem Chriſti*. Atqui Joannes Damaſcenus in lib. 4. de fide c. 13. ait, a Baſilio panem & vinum appellari antitypa corporis & ſanguinis Chriſti, *non poſt conſecrationem, ſed antequam conſecraretur oblatio*. Ergo etiam poſt verborum Chriſti prolationem panis & vinum verſa non ſunt in ejuſdem corpus, & ſanguinem, ſed horum ſunt dumtaxat imagines, & figuræ.

Reſp. quod licet per verba illa, *Hoc eſt*, &c. ſanctificata jam & conſecrata ſint dona; ita tamen orat Sacerdos, ut ſacramentalem deſignet effectum, poſtuletque ut quod factum eſt corpus Chriſti *verum*, fiat & *myſticum*, quo fideles Chriſto ſacramenti participatione junguntur. Hinc in Florentini Concilii ſeſſione 25. hoc pacto Græci fidem ſuam expoſuerunt: *Fateri nos diximus per hæc verba*, Hoc eſt corpus meum, *tranſubſtantiari ſacrum panem, & fieri corpus Chriſti: ſed poſtea quemadmodum & ipſi dicitis, Jube hæc perferri per manus*

ſan-

ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum; ita nos quoque oramus dicentes, Ut Spiritus Sanctus deſcendat ſuper nos, & efficiat in nobis panem hunc pretioſum corpus Chriſti tui, & quod in calice iſto eſt, pretioſum ſanguinem Chriſti tui, tranſmutetque ipſa Spiritu Sancto ſuo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remiſſionem peccatorum, & non fiant in judicium & condemnationem noſtram. Non ergo per objecta verba precantur Græci, ut Chriſti corpus præciſe & abſolute fiat, ſed ut fiat *relative*; ſcilicet ſuſcipientibus fidelibus in ſalutem; quo in ſenſu etiam aliæ Liturgiæ loquuntur.

Ad alterum, Græca particula Ἀντὶ aliquando idem eſt ac *Pro*, aliquando autem eſt idem ac *Contra*. Ita quoque *Antitypum* quod ex ea voce componitur, modo accipitur pro *figura* & *imagine*; quo in ſenſu Paulus ad Hebr. 9. v. 23. appellavit Sancta veteris teſtamenti *antitypa*, ideſt *exemplaria verorum*. Modo vero accipitur pro eo quod figuræ contraponitur, & ſubſtituitur *loco typi*: atque in hoc ſenſu Petrus in epiſt. 1. c. 3. v. 21. ſacramentum Baptiſmi vocat *antitypon* arcæ Noe, quod Latinus Interpres reddidit, *ſimilis formæ*.

Euchariſtica itaque ſymbola dici poſſunt *antitypa* corporis Chriſti, quatenus veteribus ſymbolis prænuntiata, & ſubſtituta ſunt; aut quatenus corpus Chriſti *ſub ſacramentalibus ſpeciebus* exiſtens repræſentat idem corpus in ara crucis immolatum; quo in ſenſu Gregorius Nazianzenus, & Cyrillus Jeroſolymitanus de Euchariſtia tractantes idem vocabulum uſurparunt.

Eadem vero ſacra ſymbola, poſtquam arcana verba prolata fuerint, non ſunt *antitypa*, qua-

te-

tenus ſolam contineant corporis Chriſti figuram, realemque præſentiam ejus ac veritatem excludant. Sed fuerunt *antitypa* dumtaxat ante conſecrationem; ad quod tempus in ſua Liturgia Baſilius reſpexiſſe videtur. Ut enim recte vertit Allatius in lib. 3. de perpetuo conſenſu Eccl. Orient. & Occid. c. 15. n. 27. in Liturgia illa ſic legitur: *Et cum propoſuerimus antitypa ſancti corporis & ſanguinis, &c.* nam in Græco hæc verba per aoriſtum præteriti temporis exprimuntur. Stat ergo Damaſceni explicatio, quin dicamus etiam poſt verborum Chriſti pronunciationem panem & vinum in corpus ejus & ſanguinem non fuiſſe converſa.

Objicies 4. contra 3. propoſ. Oportet ut Sacramentorum verba ex ſeipſis, & non ex ſola miniſtri intentione ſignificent id quod efficiunt; ut ergo ea verba, *Hoc eſt corpus meum*, efficiant Chriſti corpus ſub ſpeciebus adeſſe, debent id ex ſeipſis ſignificare, & non tantum ex intentione miniſtri: atqui niſi verba illa præceſſerint, *Qui pridie quam pateretur, &c*, ſequentia verba, *Hoc eſt corpus meum*, ex ſeipſis ſignificare non poſſunt corporis Chriſti præſentiam ſub ſpeciebus. Illud enim pronomen *meum* ex ſeſe perſonam Sacerdotis ſignificat, niſi cum verbis præcedentibus connectatur, quibus oſtenditur ipſum in Chriſti perſona proferri; ſicuti ſi abſolute ea verba pronuncies, *Mea doctrina eſt iſta*, ex vi ſermonis teipſum dumtaxat qui loqueris deſignas, licet in perſona Chriſti id intendas efferre, niſi cum præcedentibus eadem verba conjungas. Et hoc quidem argumentum ex Scoto depromptum eſt in 4. d. 8. q. 2.

Reſp.

Reſp. opus non eſſe, ut conſecrationis verba ex ſeipſis id ſignificent, quod efficiunt; ſed ſatis profectò eſt, ut ex Chriſti inſtitutione, & ex Sacerdotis intentione ſignificent. Sacerdos enim Chriſti perſonam induens, ea verba, *Hoc eſt corpus meum*, determinat ad ſacramentalem effectum, denotatque non ſuum, ſed Chriſti corpus ſub panis ſpecie contineri; quotieſcunque eadem verba proferre juxta ipſius inſtitutionem intendit, & facere quod ipſe fecit. Et re quidem vera ſi neceſſe foret, quod conſecrationis verba ex ſeipſis ſacramentalem effectum oſtenderent, ſequeretur, quod etiamſi præcedentia verba Canonis dicerentur, *Qui pridie, &c.* conſecratio minime eveniret: non enim recitantur ut nunc a Chriſto prolata; adeoque cum poſt illa Sacerdos adjungat, *Hoc eſt corpus meum*, ſignificaretur ex vi ſermonis, non quod Chriſti corpus eſſet ſub ſpeciebus quas Sacerdos habet in manibus, ſed quod fuiſſet ſub illis quas Chriſtus habebat, quando ea verba pronunciavit in Cœna.

Neque adductum valet exemplum, cum verba illa, *Mea doctrina &c.* non habeant talem a Chriſto inſtitutionem, ut quoties proferuntur ut vera, proferantur in Chriſti perſona, Chriſtumque ſignificent, ſicuti conſecrationis verba inſtituta ab ipſo fuerunt.

Venerabilem vero Scotum a communi ſententia minime receſſiſſe putarunt Fraſſen, Maſtrius, aliique. Et ſane poſtquam Subt. Doctor diſputationis gratia fuſe diſſeruit juxta *logicum* rigorem de ſenſu verborum illorum, *Hoc eſt corpus meum*; ita deinde ſubjungit: *Sufficiat Miniſtro non diſputanti eo tempore*,

re, quo illa profertur oratio, nempe, Hoc eſt corpus meum, *intendere proferre iſtam orationem eo modo, quo Chriſtus inſtituit eam proferendam; & ſic habetur intentio debita; & inſtrumentum debitum, ſcilicet illa oratio prolata, cui inſtrumento a tali agente adhibito Deus aſſiſtit ad cauſandum in ultimo inſtanti talem effectum.*

Objicies 5. Ad calicis conſecrationem eſſentialiter pertinere ea etiam verba videntur, *Novi & æterni teſtamenti, &c.* Nam ſi Sacerdos aliquod ex verbis illis omittat, jubet Eccleſia totam conſecrationis formam ex integro repetendam. Omnia inſuper ea verba iiſdem majoribus characteribus in Miſſali ſcripta leguntur, & omnia quoque a Sacerdote proferuntur eodem ritu, & modo, quum calicem in manu tenet, antequam populo adorandum oſtendat.

Deinde opinio iſthæc non obſcure defenditur a S. Thoma tum alibi, tum præſertim in p. 3. q. 78. a. 3. ubi ait: *Omnia ſequentia ſunt de ſubſtantia formæ, uſque ad hoc quod poſtea ſequitur: Hæc quotieſcunque feceritis, &c.*

Denique Pio V. jubente ex Cajetani commentariis expuncta fuit diſſertatio, qua propugnabat formam calicis conſecrandi his tantum verbis comprehendi, *Hic eſt calix ſanguinis mei.*

Reſp. ad 1. Eccleſia non eo fine præcipit repetendam tunc totam ex integro formam, quod putet omnia verba ad eſſentiam pertinere; ſed quia hac de re non una eſt Theologorum opinio, & circa Sacramentorum valorem in praxi tutior pars eſt eligenda; unde graviſſimi criminis reus eſſet, qui verba illa prætermittere au-

auderet. Idcirco autem eodem ritu ac modo a Sacerdote dicuntur, iiſdemque characteribus deſignantur, quia eſſentialem formam explicant, declarantque virtutem ſanguinis quem in paſſione ſua Chriſtus effudit.

Ad 2. Nonnulli ſcripſerunt, S. Thomam, uti ex objecti textus lectione deduci videtur, in conſecratione calicis duo ſpectare, unum ſcilicet, quod verba ſignificent Chriſti ſanguinem, & converſionem, ſive tranſubſtantiationem efficiant; alterum quod ſignificent Chriſti paſſionem, & ejuſdem ſanguinis effuſionem. Dicit itaque S. Doctor ea verba, *Novi & æterni teſtamenti*, *&c.* eſſe de ſubſtantia, & eſſentia formæ, non ut conſecretur materia, & vinum in Chriſti ſanguinem convertatur; ſed ſolum ut expreſſione verborum, Chriſti paſſio, & ſanguinis ejus effuſio denotetur.

Quidam tamen de mente S. Thomæ aliter arbitrantur, cum S. Doctor Lectione 6. in c. 11. epiſt. 1. ad Cor. evidenter affirmet, his ſolis verbis, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, *probabilius non fieri conſecrationem*. Quod ſi ita revera eſt, habito omni quem Scholarum Angelo debemus honore, cum Eſtio in 4 d. 8. §. 11. dicimus, quod *multo probabilior eſt Bonaventuræ, Scoti, Cajetani, & aliorum ſententia ſacramenti neceſſitate ſola hæc eſſe neceſſaria*, Hic eſt ſanguis meus.

Ad 3. Jure S. Pio V. jubente expuncta eſt a Summa Doctoris Angelici diſſertatio Cajetani, propterea quod de illo cum debita reverentia locutus non eſt, ſcribens, ut habetur in antiquiori editione, quam Cardinalis Gotti ſe legiſſe teſtatur, *Etſi S. Thomæ intentio contraria ſit*, *non eſt curandum*. Voluit præterea S.

Pius plurium Thomiſtarum ſententiam, quam Cajetanus uti improbabilem ea in diſſertatione traduxit, in ſua probabilitate relinquere.

CAPUT VI.

Demonſtratur in Euchariſtia vere & realiter Chriſti corpus & ſanguinem contineri.

SImoniani, Manichæi, Marcionitæ, aliique Phantaſiaſtæ, qui veram Chriſto carnem ineſſe negarunt, ex conſequenti negarunt etiam veram realemque ejuſdem carnis in Euchariſtia præſentiam.

Alii vero hæretici quamvis verum corpus Chriſto tribuerint, inficiati tamen ſunt ipſum in Euchariſtia realiter contineri. Hos inter, poſt Joannem Scotum Erigenam qui IX. ſeculo, & poſt Berengarium qui ſeculo XI. vixit, recenſendi ſunt Petrobruiſſiani, Henriciani, & Albigenſes, quorum hæreſim adoptarunt Carloſtadius, Zuinglius, Œcolampadius, Bullingerus, Bucerus, aliique non pauci Novatores, Calviniſtæ præſertim, & Sociniani. Iſti omnes in Euchariſtia figuram, ſignum, & imaginem corporis & ſanguinis Chriſti fatentur, negant vero adeſſe ipſum ejus corpus, & ſanguinem. At contra ſit

Propoſitio. Chriſti corpus & ſanguis in Euchariſtia vere, ac ſubſtantialiter continetur.

Pro-

Probatur 1. ex Scripturis. Chriſtus Joan. 6. v. 52. Judæis ait: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Litigantibus vero illis ac dicentibus verſu proximo: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* reſpondet Jeſus v. 54. *Amen, amen dico vobis: Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis:* indeque omnem hæſitandi occaſionem removens v. 56. ſubjecit: *Caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.* Quo ſane nihil clarius expreſſiuſque proferre poterat, ut veram corporis & ſanguinis ſui in Euchariſtia præſentiam demonſtraret.

Idipſum oſtenditur ex ejuſdem Chriſti verbis, quibus Euchariſtiam inſtituit, quæque leguntur Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. & epiſt. 1. ad Cor. c. 11. *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus.* Si enim hæc verba in vero proprioque ſenſu accipienda eſſent, realem corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam comprobarent: atqui ita ſunt accipienda. Nam ſi unquam homines ſincere aperteque loquuntur, id profecto tunc præſtant, quum leges ferunt, quum teſtamentum condunt, quum alloquuntur amicos: Chriſtus autem dum dixit Apoſtolis, Accipite, & comedite, *Hoc eſt corpus meum:* Bibite, *Hic eſt ſanguis meus;* legem perpetuam in Eccleſia tulit, novum condidit teſtamentum, & allocutus eſt amicos, quibus in fœderis ſignum, & amoris teſſeram ſeipſum dono tradebat: ergo &c. Huc faciunt quæ Chriſtus ait Lucæ 8. v. 10. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, ceteris autem in parabolis:* & Joan. 15. v. 15. *Jam non dicam vos*

ſervos: quia ſervus neſcit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.

Hoc inſuper fidei dogma ex perpetua SS. Patrum traditione probatur. Martyr Ignatius in epiſt. ad Smyrnæos de Simonianis ait: *Ab Eucharistia, & oratione abſtinent, quod non confiteantur Eucharistiam carnem eſſe Salvatoris noſtri Jeſu Christi, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam benignitate ſua Pater ſuſcitavit.*

Juſtinus in Apologia ad Antoninum de Euchariſtia hæc inter alia ſcribit: *Non enim ut communem panem, neque ut communem potum iſta ſumimus; ſed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus Salvator noſter carnem & ſanguinem ſalutis noſtræ cauſa habuit, ad eundem modum etiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipſo profecti gratiæ actæ ſunt, alimoniam, unde ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur, ejuſdem Incarnati Jeſu carnem & ſanguinem eſſe, edocti fuimus.*

Irenæus in lib. 5. c. 2. corporum reſurrectionem oſtendens ait: *Sicut granum tritici, & vinum percipientia verbum Dei Euchariſtia fiunt, quod eſt corpus & ſanguis Chriſti; ſic & noſtra corpora ex ea nutrita, & in terram reſoluta reſurgent in ſuo tempore.* Quæ ſane futilis ineptaque comparatio foret, ſi ſola Dominici corporis ſanguiniſque figura in Euchariſtia maneret.

Chryſoſtomus hom. 24. in epiſt. 1. ad Cor. inquit: *Id enim, quod eſt in calice, eſt illud idem, quod e latere fluxit, & illius ſumus participes.* Lege etiam quæ S. Doctor ſcribit hom. 83. in Matthæum. Eadem denique eſt Græcorum Patrum omnium conſtans & aperta doctri-

ctrina, uti legere poteris apud Cyrillum Jeroſol. in Catech. Myſtag. 4. Gregorium Nyſſenum in magna Orat. Catech. c.37. Epiphanium in Anchorato n. 57. &c.

Conſonant & Latini. Cyprianus in epiſt. 54. ad Cornelium aſſerens inſtante perſecutione concedendam lapſis communionem, ait: *Nam quomodo docemus, aut provocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus.*

Ambroſius in lib. de Myſteriis c. 9. ſcribit: *Ipſe clamat Dominus Jeſus: Hoc eſt corpus meum. Ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. Ipſe dicit ſanguinem ſuum. Ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur. Et tu dicis, Amen, hoc eſt, verum eſt.*

Auguſtinus Enarrat. 1. in Pſal. 33. n. 10. ait: *Quis portatur in manibus ſuis? Manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur... In Chriſto autem invenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum ait, Hoc eſt corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis.*

Petrus Chryſologus ſerm. 67. ſcribit: *Ipſe dixit, Ego ſum panis, qui de Cœlo deſcendit. Ipſe eſt panis, qui ſatus in Virgine, fermentatus in carne, in paſſione confectus, in fornace coctus ſepulchri, in Eccleſiis conditus, illatus altaribus, cœleſtem cibum quotidie fidelibus ſubminiſtrat.* Poſtremo, ne conſuetæ brevitatis videamur obliti, lege Optatum Milevit. lib. 6. contra Parmenianum, Hilarium lib. 8. de Trin.

 n. 13.

n. 13. Hieronymum in c. 1. epiſt. ad Titum, &c.

Sacra quoque Concilia eandem veritatem perpetuo tradiderunt, uti præſertim patet ex Nicæno. I. can. 14. ex Epheſino in epiſt. ad Neſtorium, ex Nicæno II. act. 6. ex. Lateranenſi IV. cap. 1. ex Conſtantienſi ſeſſ. 8. ex Florentino in Decreto unionis, necnon ex Tridentino ſeſſ. 13. Denique vel ipſa Græca Eccleſia poſt factum ſchiſma ab hoc fidei dogmate non receſſit; ut conſtat ex Cenſura Hieremiæ CP. Patriarchæ, & ex Hieroſolymitana Synodo ſub Doſitheo.

At contra 1. probationem ex Joan. 6. deductam Novatores objiciunt, quod qui citatum caput ſcrutari voluerit, tropicam in eo locutionem evidenter inveniet. Certum eſt enim Chriſtum prioribus verſibus de fide dumtaxat, ſive de ſpirituali manducatione per fidem egiſſe; nam v. 27. dixit turbæ: *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam:* & v. 29. *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille:* ac deinde v. 35. *Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet unquam.* Quibus profecto verbis non obſcure demonſtrat, panem vitæ de quo prolixe eodem in cap. loquitur, non aliud eſſe, quam fidem.

Reſp. eo in loco uſque ad v. 25. agi de materiali cibo, ſive de multiplicatione quinque panum, quibus in deſerto Chriſtus quinque hominum millia ſaturavit; deinceps uſque ad v. 52. ſermonem fieri de cibo ſpirituali, nempe de fide in Chriſtum, qui carnem aſſumens de Cœlo deſcendit; poſtremo a v. 52. uſque ad finem capitis de reali & ſacramentali carnis

Chri-

Chriſti manducatione tractari. De hac enim Chriſtum loqui vel ipſi intellexere Judæi, quibus id *durum* & *impoſſibile* arbitrantibus, non reſpondit ſe figurato in ſenſu locutum; quin potius quæ dixerat futuræ ſuæ Aſcenſionis miraculo confirmavit, inquiens vv. 62. & 63. *Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem, ubi erat prius?* Denique cum propter ea verba plures ex diſcipulis ejus abirent, nihil hac de re ſollicitus, v. 68. *dixit ad duodecim: Numquid & vos vultis abire?* Si ergo dum poterat abeuntes faciliter revocare dicendo ſe loqui de ſpirituali manducatione per fidem, id non præſtitit; ſignum profecto eſt, Chriſti mentem fuiſſe, ut de reali ſuæ carnis manducatione in Eucharíſtia diſſereret.

Sed inſtant hæretici. Chriſtus eo in loco non obſcure ſignificat ſe de ſpirituali manducatione loqui, dum v. 52. ait: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. At multi ſpiritaliter pereunt, etſi Sacramentum Euchariſtiæ ſuſcipiant; cum e contra promittatur paulo ſupra credenti æterna vita, v. 47. *Qui credit in me, habet vitam æternam*.

Subdit præterea Chriſtus v. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*. Talis itaque manducatio eſt, qualis & manſio: hæc autem non eſt, niſi ſpiritualis; ergo & illa.

Deinde murmurantibus Capharnaitis, declaravit Dominus non literali, ſed ſpirituali ſenſu accipienda eſſe quæ dixerat, v. 64. *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quidquam; verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt*.

Reſp. ad 1. ea verba intelligenda eſſe cum conditione, quam demonſtrat Apoſtolus in 1. ad Cor. c. 11. v. 28. & 29. *Probet autem ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit: non dijudicans corpus Domini.* Nam Sacramenta tunc gratiam quæ vitæ æternæ & futuræ gloriæ pignus eſt, conferunt ſuſcipienti, cum nullus ex parte hujus obex eorum virtuti reſiſtit.

Ad 2. Per Euchariſtiam manet Chriſtus in nobis non ſpirituali tantum modo, verum etiam corporali: unde Cyrillus Alex. lib. 10. in Joan. nos vocat *concorporales* cum Chriſto, propter Euchariſtiæ ſcilicet ſumptionem. Deinde quemadmodum quis perperam argutaretur, ajendo: Talis eſt per Baptiſmum ablutio, qualis per illam mundatio, & ſalus habetur: atqui hæc non eſt niſi ſpiritualis; ergo & illa. Ita ſimiliter ineptum eſt argumentum a Calviniſtis hoc loco productum. Proprium enim eſt Sacramentis omnibus, ut exteriori, ac ſenſibili actione ſpiritualem operentur effectum.

Ad 3. Chriſtus per ea verba Judæos monet, ne quæ ipſe dixerat, carnaliter intelligerent, atque, ut faciunt qui fide privantur, nihil conciperent communi, humanaque narratione ſublimius. *Caro*, inquit Auguſtinus tract. 27. in Joan. *non prodeſt quidquam, ſed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur. Perinde ſic dictum eſt, Caro non prodeſt quidquam; quomodo dictum eſt, Scientia inflat. Jam ergo debemus odiſſe ſcientiam? abſit. Et quid eſt,*

Scien-

Scientia inflat? ſola, ſine charitate. Ideo adjunxit, Charitas vero ædificat. Adde ergo ſcientiæ charitatem, & utilis erit ſcientia; non per ſe, ſed per charitatem. Sic etiam nunc caro non prodeſt quidquam, ſed ſola caro: accedat ſpiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad ſcientiam, & prodeſt plurimum. Nam ſi caro nihil prodeſſet, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. Vide etiam S. Bonaventuram in 4. d. 10. p. 1. a. 1. q. 1. & Scotum in 4. d. 10. q. 1.

Hic inſuper adnotamus 1. quod etſi quidam Patres myſtico in ſenſu de ſpirituali manducatione per fidem exponant ea omnia quæ Joan. 6. leguntur, non tamen veram ac ſacramentalem manducationem excludunt, ſed utramque ſimul agnoſcunt, ii præſertim qui caput illud data opera explanarunt. 2. cum Huſſitæ ad probandam neceſſitatem communionis ſub utraque ſpecie abuterentur capite 6. Joannis, urgentes verſum 59. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, &c.* illuſtres quidam Theologi ea verba de Euchariſtia accipienda eſſe negarunt, eo quod minime contineant divinum præceptum cunctis fidelibus ex ſalutis neceſſitate præſcribens, ut ſub utraque ſpecie Euchariſtiæ Sacramentum accipiant; tametſi ibi de ſacramentali etiam Euchariſtiæ communione, ac de vera corporis Chriſti manducatione tractetur, ſi de præcepto loquamur, quod adultos tantum obligat, aut unam, vel alteram ſpeciem disjunctive præſcribit.

Objiciunt 2. contra 2. probationem. In propoſitione illa, *Hoc eſt corpus meum*, verbum *eſt* idem valet, ac *ſignificat*; nam plerumque Scripturæ rerum ſignificatarum nomina ſignis at-

attribuunt. Ita Gen. 41. v. 26. legitur: *Septem boves pulchræ, & ſeptem ſpicæ plenæ, ſeptem ubertatis anni ſunt*. Exodi 12. v. 11. de agno dicitur: *Eſt enim Phaſe, ideſt, tranſitus Domini*. Joan. 10. v. 7. Chriſtus ait: *Ego ſum oſtium*. Atque alia id genus exempla plurima paſſim occurrunt. Eodem itaque modo quum Chriſtus dixit, *Hoc eſt corpus meum*, τὸ *eſt* idem denotat, ac *ſignificat*. Quoties enim prædicatum a ſubjecto disjungitur, omnes intelligunt, non verum, ſed figuratum eſſe ſermonem: Chriſti autem corpus eſt disjunctum penitus ac diverſum ab eo, quod Chriſtus in manibus tunc gerebat: ergo ſtatim intellexerunt Apoſtoli, Chriſtum figurato in ſenſu fuiſſe locutum, cum ſcirent Chriſti corpus non eſſe ſubſtantialiter panem, ſicuti neque oſtium, neque petram, neque vitem, &c.

Reſp. quod eſto interdum meris ſignis rerum ſignificatarum nomina tribuantur, & verbum *eſt* aliquando pro *ſignificat* uſurpetur; id tamen tunc contingit, quando qui loquitur, ea in circumſtantia loquitur, qua audientes non difficulter intelligere valeant, illum rei nomen mero ſigno tribuere; ut ſi quis Chriſti imaginem accipiens dicat, *Hic eſt Chriſtus*. Ita dixit Joſeph, *Septem boves*, *&c.* cum enim ille ſomnium Pharaonis exponeret, in quo boves & ſpicas aliquid aliud ſignificare noverat ipſe Pharao; ea in circumſtantia ſermonem habuit, qua verbum *eſt* pro *ſignificat* adhiberi ab ipſo, dubitari non poterat.

In altera vero propoſitione, *Agnus eſt phaſe, ſive tranſitus*, verbum *eſt* naturalem ac proprium ſenſum habet; ſubintelligendum eſt enim

enim nomen iſtud *Victima*, ita ut iſte ſit ſenſus: *Agnus eſt victima tranſitus*, a Deo nempe præcepta in memoriam, & gratiarum actionem pro liberatione filiorum Iſrael in Ægypto. Qui ſane ſenſus aperte colligitur ex vv. 26. & 27. ejuſdem capitis, ubi Deus per Moyſen ait: *Cum dixerint vobis filii veſtri: Quæ eſt iſta religio? Dicetis eis: Victima tranſitus Domini eſt, quando tranſivit, &c.*

Ceterum etſi demus aliquam haberi figuram in verbo *eſt*, dum dicitur: *Agnus eſt phaſe*, ac eſſe ſenſum, Agnus eſt ſignum tranſitus; ea tamen figura ex loci, rei, ac perſonarum circumſtantiis ſtatim perſpecta fiebat; probeque Judæi noverant, quod Paſchalis agnus in ſignum tranſitus Domini eſſet immolandum.

Ita quoque cum Chriſtus Joan. 10. dicitur *oſtium*, & cum alibi *vitis* appellatur, & *panis*; nemo eſt qui ſtatim mente non capiat, figuram in dictione latere, ac deſignari aliquam Chriſti virtutem per analogiam quandam cum oſtio, vite, pane repertam. Imo Chriſtus ipſe ejuſcemodi ſenſum expoſuit, Joan. 10. v. 9. *Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſalvabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet*. De vitis etiam, ac panis ſimilitudine lege quæ ait Joan. c. 15. & c. 9.

Hæc itaque & alia producta a Calviniſtis exempla, eorum cauſam juvare non poſſunt. Licet enim rerum ſignificatarum nomina ſignis interdum tribuere ſoleamus; id tamen in prima rerum inſtitutione non facimus, niſi vel quum verborum ſenſus notus eſt iis, quibuſcum loquimur, vel quum mens noſtra ipſo loquendi modo evidenter exprimitur. Cum ergo neque

que notum Apoſtolis aliunde eſſet, Chriſtum ajentem, *Hoc eſt corpus meum*, nomine ſui corporis ſignum tantum intelligere, non rem ipſam; neque ipſo loquendi modo id Chriſtus indicaret; aperte conſequitur, quod voces illas in propria ſignificatione uſurpaverit; proindeque non ſui corporis ſignum, ſed ipſum corpus revera tradiderit.

Ergo licet Chriſti corpus ſit res a pane diverſa, cum tamen Chriſtus Apoſtolis illum oſtendens, dixerit, *Hoc eſt corpus meum*, ac inſuper addiderit, *Quod pro vobis tradetur*; cum etiam calicem oſtendens affirmaverit, *Hic eſt ſanguis meus*, adjungens, *Qui pro vobis effundetur*; non aliud intelligere potuerunt Apoſtoli, quam id quod illis exhibebatur, vere ac realiter Chriſti corpus & ſanguinem continere: alioquin Chriſtus mentali reſtrictione utens, neque explicans, quod ſignum tantum, non rem ipſam daret, Apoſtolos decepiſſet.

At urgent. Atqui Chriſtus ſatis aperte monſtravit, ea verba, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*, metaphorice eſſe ſumenda. Etſi enim Vulgatus Interpres in 1. ad Cor. 11. v. 24. poſt priora verba verterit, *Quod pro vobis tradetur*; in Græco tamen textu legitur, *Quod pro vobis frangitur*: Unuſquiſque autem intelligit, fractionem non vero Chriſti corpori, ſed pani tantummodo convenire; unde & in citata epiſt. c. 10. v. 16. ait idem Apoſtolus, *Panis, quem frangimus*.

Deinde Chriſtus poſt laudata verba ſubjunxit, *Hoc facite in meam commemorationem*; quaſi manifeſte dixiſſet: Hic panis, & hoc vinum ſunt corporis, & ſanguinis mei commemoratio, ſive figura. Præ-

Præterea jam Chriſtus Matth. 26. v. 11. dixerat Apoſtolis: *Semper pauperes habetis vobiſcum : me autem non ſemper habetis*. Cum ergo teſtatus ille fuiſſet, ſe cum eis non futurum poſt mortem, quomodo ipſi perſuadere ſibi poterant, realiter in Euchariſtia futurum?

Poſtremo, dum Chriſtus accipiens panem dixit, *Hoc eſt corpus meum*, non aliud demonſtrabat, quam quod acceperat: atqui panis erat quod acceperat, fregerat, & diſtribuebat Apoſtolis: non ergo demonſtrabat aliud, quam panem, ſolam nempe ſui corporis figuram.

Reſp. ad 1. quod Chriſti corpus frangi dicatur ratione ſpecierum, quarum etiam reſpectu, etſi panis ſubſtantia in Sacramento non maneat, Euchariſtia *fractio panis*, *ſacramentum panis*; & *panis abſolute* in Scripturis, & a SS. Patribus appellatur. Deinde Chriſti corpus in Sacramento frangi dicitur, quia fidelibus datur & diſtribuitur, juxta frequentem Stripturæ phraſim: lege Iſaiæ c.56. v.7. Threnorum 4.v.4. Actorum 2. v. 42. &c. Eſt ergo ſenſus, Chriſtum in Cœna diſtribuiſſe corpus ſuum, quod jam jam tradendum erat in mortem.

Ad 2. In Euchariſtia fit quidem commemoratio, non corporis Chriſti, quod præſens eſt, ſed immolationis, paſſionis, crucifixionis; unde hac de re ſcribit Apoſtolus in 1. ad Cor. 11. v. 26. *Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*.

Ad 3. Loquitur ibi Chriſtus de ſua corporali viſibilique præſentia, ac ſecundum mortalis vitæ ſtatum, in quo poterat ab hominibus aliquam percipere utilitatem. Citatis enim verbis

bis Chriſtus Judam alloquitur, qui prætextu miſericordiæ in pauperes unguenti profuſionem ægre ferebat. Non ergo textus ille negat inviſibilem Chriſti præſentiam, qua ſub Euchariſticis ſpeciebus abſconditur.

Ad 4. Chriſtus quidem purum panem accepit; id autem quod demonſtrans porrigebat Apoſtolis, dicendo, *Hoc eſt corpus meum*, non erat panis, niſi in externa tantum ſpecie, quia vi verborum in Chriſti corpus jam fuerat commutatum. Sicuti quod miniſtri nuptiarum Canæ infuderunt in hydrias, aqua erat; quod autem ex iiſdem hydriis infuderunt in calices, erat vinum. Ita Chriſtus panem accepit, ſed dicendo, *Hoc eſt corpus meum*, ex eo corpus ſuum effecit; cum locutio illa ſpeculativa non fuerit, ſed practica, operativa, factiva.

Objiciunt 3. SS. Patrum auctoritatem, qui Euchariſtiam non raro *antitypum*, *imaginem*, *figuram*, *ſignum corporis Chriſti* vocarunt. Eorum quoque nonnulli dixerunt, non alia ratione a nobis Chriſti carnem manducari, quam ſpiritualiter & per fidem; juxta quod ſcribit Auguſtinus tract. 25. in Joan. *Ut quid paras dentes, & ventrem? Crede & manducaſti.*

Reſp. minime repugnare, quod Euchariſtia vocetur figura, ſignum, imago ratione ſpecierum, ac ſimul veritas reſpectu ſubſtantiæ rei, quam continet; quamobrem de Conſecrat. diſt. 2. cap. 89. legitur: *Corpus Chriſti quod ſumitur de altari figura eſt, dum panis & vinum extra videtur; veritas autem, dum corpus & ſanguis Chriſti in veritate interius creditur*. De voce antitypi lege quæ diximus in c. 5. object. 3.

Quod ſi quis objecerit, ex Veteribus Ter-

tul-

tullianum ita Euchariſtiam appellaſſe figuram, ut veritatem excluſerit, cum in lib. 4. contra Marcionem c. 40. ſcripſerit: *Acceptum panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum dicendo, ideſt, figura corporis mei:*

Reponemus, Tertullianum aſſerere, quod Chriſti corpus in Euchariſticis elementis occultatum ſit vere ſignum & figura ſui ipſius, quatenus ille inter nos verſabatur, & quatenus pro nobis in cruce pependit. Agit enim ibi Tertullianus contra Phantaſiaſtas negantes verum Chriſti corpus cruci fuiſſe ſuffixum, eidemque tribuentes corpus dumtaxat umbratile, & confictum a ſpiritu. Illius itaque ratiocinationis hæc vis eſſe videtur: Inane & vacuum phantaſma nequit permanentem aliquam figuram ſuſcipere. At corpus Chriſti permanentem ac ſolidam habet figuram panis. Igitur corpus Chriſti non eſt vacuum & inane phantaſma. Hunc enim ſenſum commonſtrant verba, quæ proxime conſequuntur: *Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Ceterum vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poſſet.*

Tandem idcirco Patres aſſerunt manducari a nobis Chriſti carnem ſpiritaliter, ac per fidem; quia niſi cum fide, & gratia ſanctificante quis acceſſerit, licet viſibile Sacramentum accipiat, nullum tamen percipit fructum, ſed animæ detrimentum. Unde Auguſtinus tract. 26. in Joan. inquit: *Qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec manducat ſpiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti;*

ſed

ſed magis tantæ rei ſacramentum ad judicium ſibi manducat & bibit, quia immundus præſumit ad Chriſti accedere ſacramenta.

CAPUT VII.

Quod realis corporis & ſanguinis Chriſti præſentia in Euchariſtia philoſophicis argumentis expugnari non poſſit.

PRiori in capite ex Scripturis & traditione probavimus, Chriſti corpus & ſanguinem in Euchariſtia realiter contineri, & theologica hæreticorum argumenta diluimus; nunc conficta ex philoſophica ratione ſophiſmata diſſipanda ſuperſunt. Eſto itaque

Argumentum 1. Omne corpus circumſcriptum eſt, ſuiſque finibus limitatum; nequit igitur idem corpus in Cœlo eſſe, & in terris, & iſtic in locis propemodum infinitis ſimul exiſtere: atqui ita Chriſti corpus exiſteret, ſi vere ac realiter in Euchariſtia maneret.

Reſp. 1. quod dum de fidei myſteriis agitur, non humana ratio, ſed divina auctoritas credendi normam intellectui noſtro ſuppeditat; nam neque tres in Deo reperiri hypoſtaſes, neque Dei Verbum hominem factum ac mortuum, ex humana ratione, ſed ex revelatione didicimus. Chriſtus præterea non unicum in ſuo corpore miraculum nobis exhibuit, uti Evan-

Evangeliſtæ recenſent. Si ergo humiliter credimus, hæc curioſe minime inveſtigabimus, memoria retinentes Auguſtini monitum in lib. 21. de C. D. c. 5. plura eſſe, *de quibus ratio reddi ab homine non poteſt, & tamen ſunt, & ipſi rationi naturæ videntur eſſe contraria*. Scribit præterea S. Doctor in epiſt. 137. olim 3. ad Voluſianum: *Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus tota ratio facti eſt potentia facientis.*

Et profecto Patres etſi adductum viderint argumentum, non tamen compulſi eo fuerunt, ut realem Chriſti præſentiam denegarent. Unde Chryſoſtomus in lib. 3. de Sacerdotio n. 3. ait: *O miraculum! O Dei benignitatem! Qui cum Patre ſurſum ſedet, illa hora omnium manibus tenetur, ſeſeque volentibus dat complectendum, & accipiendum*. Et Nyſſenus in Orat. Catech. c. 37. ſcribit: *Oportet conſiderare, quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in univerſo Orbe terrarum ſemper diſtribuitur, totum per partem ſit in unoquoque, & ipſum in ſe totum maneat: &c.*

Reſp. 2. per Dei potentiam idem corpus poſſe in pluribus locis exiſtere; ſicuti etiam duo corpora penetrari poſſunt, eodemque ambitu circumſcribi, licet juxta naturæ legem ſeſe invicem a loco repellant: ita non diſrupto virginali utero Chriſtus in lucem exivit, clauſo tumulo reſurrexit, occluſiſque januis ad Apoſtolos intravit. Non enim locus ad ipſam corporis ſubſtantiam pertinet; alioquin neque ſucceſſive poſſet illud in pluribus locis exiſtere, ſicuti neque ſucceſſive poteſt diverſam ha-

bere ſubſtantiam. Denique dum in pluribus locis corpus aliquod divinitus invenitur, ſicuti ſubſtantia non mutatur, ita & interiori virtute non creſcit:

Argumentum II. Chriſti corpus in Euchariſtia aut quantum eſt; aut non quantum; ſi primum dixeris, conſequens erit, majorem quantitatem a minori comprehendi; majus eſt enim corpus Chriſti, quam panis vinique ſint ſpecies. Si vero alterum affirmaveris, conſequetur, idem corpus eſſe quantum, & non quantum; ſcilicet in Cœlo quantum, in Euchariſtia non quantum. Imo concludendum foret; ipſum in Euchariſtia non eſſe corpus; quandoquidem corporis ratio nequit ſine quantitate ſubſiſtere. Ut enim inquit Auguſtinus epiſt. 187. alias 57. ad Dardanum c. 6. *Spatia locorum tolle corporibus, nuſquam erunt: & quia nuſquam erunt, nec erunt.*

Reſp. Chriſti corpus ſicut in Cœlo, ita & in Euchariſtia ſuam quantitatem habere. Eſſentialis autem ratio quantitatis, juxta probabiliorem Scotiſtarum opinionem, non in locali extenſione, ſed in impenetrabilitate conſiſtit; quæ quidem impenetrabilitas eſt qualitas abſoluta ipſum corpus afficiens, & ab eo diſtincta realiter, ac ſeparabilis; nam deſtructa panis vinique ſubſtantia impenetrabilitas, ſive quantitas ſola cum reliquis accidentibus in Sacramento perſiſtit. Et quia abſolutum eſt accidens ab exteriori ac locali partium poſitione non pendet, ac poteſt etiam ſine actuali impenetratione manere; & ideo Chriſti corpus in Euchariſtia etſi ſit quantum, & partes habeat inter ſe recte diſpoſitas, ita ut collum capiti, & hæc mem-

membra aliis ſint naturali ordine copulata; localem tamen extenſionem, actualemque impenetrationem earundem partium in loco non habet. Unde Seraph. Doctor in 4. d. 10. p. 1. a. 1. q. 4. ait: *Proprietates corporis Chriſti ſunt duplices. Quædam abſolutæ, ut eſſe bicubitum, & talis figuræ. Quædam relatæ, ut videri, & tangi, & tantum locum occupare. Ab abſolutis non abſtrahitur, ſed a comparatis abſtrahitur, tum propter veritatem Sacramenti, quia oportet, ut magnum corpus ſit in parva ſpecie, tum propter utilitatem fidei, quam oportet occultari. Secundum hoc ſciendum; quod poſitio eſt ordinatio partium in toto, & ab hac non abſtrahitur... & eſt ordinatio partium in loco, & ab hac abſtrahitur propter Sacramenti veritatem.* Lege eundem S. Doctorem in citato articulo q. 2.

Quod tandem ex Auguſtino profertur, intelligendum eſt de naturali modo, quo corpus exiſtit. Non enim ibi quid Deus poſſit, S. Doctor inquirit; ſed quid ad corpus naturaliter ſpectet, exponit.

Argumentum III. Docent Philoſophi, ſi Peripateticos excipias, fere omnes, corpoream ſubſtantiam conſtitui certa partium tenuiſſimarum combinatione, quæ determinatam habeat ſpeciem, ubi ſit certa particularum congeries, ac textura: ideoque hoſtia conſecrata conſtans ſuis adhuc partibus, eademque textura ac diſpoſitione permixtis, priorem panis ſubſtantiam non amittit. Si illud autem Ariſtotelicis concedatur, quantitatem, figuram, ſaporem, & hujus generis reliqua, nomine accidentium diſtincta, aliam a ſubſtantia rem eſſe; ſuperat nihilominus humanum captum, quod hæc om-

nia in Euchariſtia permaneant, ſublata ſubſtantia, quæ eorundem accidentium fulcrum eſt & ſubjectum.

Reſp. quod etſi opinemur materiam primam in ſeipſa eſſe completam, adeoque ſuperfluam eſſe materialem formam, quæ ſit abſoluta ſubſtantia a materia diſtincta, eamque perficiens; negare tamen non poſſumus, exiſtentiam quorumdam ſaltem accidentium abſolutorum, prout a Peripateticis admittuntur, inter quæ primum ſane locum ſibi vindicat quantitatis affectio. Id enim evidenter deduci videtur ex eo, quod Conſtantienſe Concilium hanc Wiclefi propoſitionem in ſeſſ. VIII. proſcripſerit: *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in Sacramento altaris*. Ex hujus namque propoſitionis damnatione colligitur, aliam propoſitionem eidem contradictorie oppoſitam eſſe veram: *Accidentia panis manent ſine ſubjecto in Sacramento altaris*: at ſi accidentia abſoluta non eſſent, ſine ſubjecto manere omnino non poſſent. Docet præterea Synodus Tridentina ſeſſ. 13. c. 6. quod *conſuetudo aſſervandi in ſacrario ſanctam Euchariſtiam adeo antiqua eſt, ut eam ſeculum etiam Nicæni Concilii agnoverit*. Aſſervari vero nequit quod nuda ac vana relatio eſt.

Neque repugnat, quod per divinam virtutem accidentia, quæ abſoluta dicuntur, ſine ſubjecto permaneant. Ut enim ait S. Bonaventura in 4. d. 12. p. 1. a. 1. q. 1. *Sicut comparatio accidentis ad operationem eſt dupliciter, ſcilicet ſecundum actum, & ſecundum aptitudinem; ita etiam ad ſubjectum. Comparatio vero accidentis ad propriam operationem ſecundum aptitudinem eſt eſſentialis, & inſeparabilis: unde*

de non poteſt eſſe, quod ſit albedo, & non ſit viſus diſgregativa. Comparatio vero ſecundum actum conſequitur eſſentiam: Unde poſſet accidens ſeparari ab actuali operatione; unde albedo non ſemper diſgregat. Sic dicendum, quod comparatio accidentis ad ſubjectum ſecundum aptitudinem eſt eſſentialis: & hæc nunquam privatur ab accidente, nec ab illis ſpeciebus; verum eſt enim dicere, quod ſunt natæ eſſe in ſubjecto. Comparatio vero actualis, quamvis ſemper inſit actu ſecundum naturam, tamen ſequitur eſſentiam: & ideo poteſt ſeparari ſine aliquo inconvenienti potentia ſupra naturam. Reliqua huc ſpectantia, ac ſubtilius explicata legito apud eundem S. Doctorem.

Argumentum IV. Admiſſa reali corporis Chriſti præſentia in Euchariſtia, nonnulla ſequuntur abſurda; illud nempe ab impiis manducari, in ventrem trajici, in ſeceſſum abire, in ſordes interdum projici, in terram cadere, a muribus corrodi, putreſcere, aceſcere, &c. quæ Chriſto ſunt prorſus indigna.

Reſp. quod cum Chriſtus in Euchariſtia inextenſo, ac impaſſibili modo ſubſiſtat; quidquid contra Euchariſtiam fieri dicitur, ſpecies ſolummodo afficit, neque ulla ratione poteſt Chriſti corpus offendere. Ipſi etiam peccatores Euchariſtiam indigne ſumentes, non magis Chriſti corpori nocent, quam noceant Deo, dum peccant, eumque blaſphemant: neque magis idem corpus in obſcœnis locis inficitur, quam ſolaris radius inficiatur in cœno.

Hic cum Seraph. Doctore in 4. d. 9. a. 2. q. 1. notamus, „ quod ſicut Magiſter tangit „ in litera, aliqui voluerunt dicere corpus

 „ Chri-

„ Chriſti verum a malis non ſumi ; quia non
„ decet tantam Majeſtatem , & carnem tam
„ ſanctam , & puram in corpus peccatis ſub-
„ ditum introire . Unde volebant dicere, quod
„ corpus Chriſti verum a ſpeciebus abſcederet,
„ ex quo peccator ipſum labiis, & ore pollu-
„ to contingeret . Sed quoniam hoc in erro-
„ rem ducit , & manifeſte eſt contra auctori-
„ tates Sanctorum ; ideo communiter tenent
„ Doctores fideles tanquam certitudinaliter ve-
„ rum , quod in re media , quæ eſt corpus
„ Chriſti verum , non eſt differentia inter ju-
„ ſtum, & impium . Quia ipſe Dominus utri-
„ que ſe offert nunc , ſicut pro omnibus ſe
„ tunc obtulit in cruce. Sed quantum ad ulti-
„ mum, ſcilicet unionem in corpore myſtico,
„ multum refert ; quia boni recipiunt inde fru-
„ ctum, mali non, immo potius damnum . "
Plura huc ſpectantia legite apud eundem S. Doctorem, necnon apud S. Thomam in p. 3. q. 80. a. 3. quibus præiverat Auguſtinus in lib. 5. de Bapt. c. 8. n. 9.

Argumentum v. Realis Chriſti præſentia in Euchariſtia prorſus inutilis eſſe videtur. Chriſtus enim in Euchariſtia exiſtens , ut in ſymbolo, typo, figura , non minus fidelium animas paſcere poteſt, quam ſi realiter ibi adeſſe dicatur ; & qui Chriſtum in Cœlo manentem fide ac charitate complectitur , eundem profecto Dominicæ paſſionis fructum aſſequitur , ac ille qui corpus ejus realiter in Euchariſtia reciperet .

Reſp. Simili cavillatione probare quis poſſet inutilem fuiſſe Incarnationem , & Sacramenta omnia eſſe ſuperflua ; cum Deus ſola ſua vo-

lun-

luntate id omne præſtare potuerit, ad quod Sacramenta inſtituit, & Verbum incarnari decrevit. Etſi igitur Chriſtus per nuda ſymbola animam paſcere, & eoſdem in nobis operari potuiſſet effectus, quos per realem ſui præſentiam operatur; non ita tamen ei placuit: atque hæc ejuſdem voluntas ex Scriptura, & traditione nobis innotuit, ex quibus etiam edocemur, Chriſtum ſeipſum ſubſtantialiter præſentem nobis in Euchariſtia dediſſe, ut ardentiſſimi amoris relinqueret argumentum, & ob alios etiam fines, quos Chryſoſtomus expendit hom. 46. alias 45. in Joannem.

Poſtremo concedimus utique fidem in Chriſtum, & charitatem erga ipſum abſque reali corporis ejus ſumptione prodeſſe: at concedendum eſt pariter, virtutes illas ſimul cum reali ſumptione conjunctas plus emolumenti ſpiritualis afferre; cum novæ legis Sacramenta gratiam ex opere operato producant, ut alibi oſtenſum eſt.

Contra vero prædictas, aliaſque hæreticorum fallacias præ oculis habeto Chryſoſtomi monitum homil. 83. in Matth. ita ſcribentis: *Credamus ubique Deo, nec contradicamus ei; etiamſi quod dicit, contrarium videatur cogitationi, & oculis noſtris: ſed ipſius ſermo ſuperet & cogitationem noſtram & oculos... Quandoquidem igitur ſermo ait*, Hoc eſt corpus meum, *perſuaſi ſimus, & credamus, & oculis intellectualibus id aſpiciamus.* Chryſoſtomo conſentit Hilarius in lib. 1. de Trin. n. 13. ita loquens: *Reſpuit captioſas & inutiles philoſophiæ quæſtiones fides conſtans, neque humanarum ineptiarum fallaciis ſuccumbens, ſpolium ſe præbet veritas falſitati;*

non ſecundum ſenſum communis intelligentiæ Deum retinens, neque de Chriſto ſecundum mundi elementa decernens, &c. Quibus apprime conſonant quæ ſuperius in primi argumenti ſolutione notavimus.

CAPUT VIII.

Oſtendit, panis vinique ſubſtantiam in Eucbariſtia minime remanere.

Lutherani quamvis nobiſcum contra Calviniſtas affirment, Chriſtum in Euchariſtia vere eſſe præſentem, circa tamen ejuſdem præſentiæ modum omnino diſſentiunt. Quidam cum Oſiandro commenti ſunt panem inter & Chriſti corpus inveniri ineffabilem quandam, & hypoſtaticam unionem, qualis eſt inter humanam naturam, & divini Verbi hypoſtaſim, & quæ ſolet *Impanationis* nomine deſignari. Quidam vero tenent ſubſtantiam panis Dominico quidem corpori ſociari, ſed abſque ſubſtantiali & hypoſtatica unione; atque horum dogma, quod major Lutheranorum numerus ſequitur, *Conſubſtantiatio* vocitatur. At Catholici utramque hæreſim deteſtantes, *Tranſubſtantiationem* tuentur, ajuntque totam panis & vini ſubſtantiam in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Domini tranſmutari. Sit itaque

Propoſitio. Certa fide tenendum eſt, Chriſtum in Euchariſtia non niſi per tranſubſtantiationem eſſe præſentem.

Probatur 1. ex ipſa conſecrationis forma, qua

qua ſingularem rem demonſtrando, dicitur, *Hoc eſt corpus meum*. Cum enim diſparatæ diverſæque res ſint humanum corpus & panis, ſicut homo & frumentum; de quo ſingulariter Veritas dicit, *Hoc eſt corpus meum*; de eodem a nobis vere dici non poteſt, Hoc eſt panis; quia diſparata de eodem ſingulari nunquam vere dicuntur. Lege S. Bonaventuram in 4. d. 11. p. 1. a. 1. q. 1. & S. Thomam in p. 3. q. 75. a. 2.

Neque poſſunt Lutherani recurrere ad hypoſtaticam panis cum Chriſti corpore unionem. Nunquam enim in Eccleſia traditum, nec auditum eſt Dei Filium aſſumpſiſſe naturam irrationalem & inſenſibilem, aut quamvis aliam præter humanam, & hanc ſemel dumtaxat; quæ inſuper non ita fuit aſſumpta, ut prius exiſteret propriam habens ſubſiſtentiam, ac deinde in unitatem Filii Dei ſuſciperetur, ideſt ut prius aliquis homo exiſteret, qui poſtea fieret Filius Dei; ſed ita, ut ipſa nunquam ante, vel poſt habuerit, vel habitura ſit ſubſiſtentiam ab æterna Filii Dei perſona diverſam. Tale quid autem dici de pane non poteſt, ut qui prius in ſua natura ſubſiſtat, quam conſecratio peragatur.

Deinde ad ſignificandam ejuſcemodi unionem non ſatis apta eſt propoſitio illa, *Hoc eſt corpus meum*; ſed ſicuti dicitur, *Verbum caro factum eſt*, ita dicendum a Chriſto fuiſſet, Corpus meum eſt, vel factum eſt panis. Subjecti enim locum tenere debet id, cui altera ſubſtantia per unionem adjungitur; ſicuti Verbo adjuncta eſt caro, humana nempe natura. At nunc neque ea loquendi forma uſus eſt Chriſtus,

ſtus, neque omnino panem nominavit, ſed nu-de ac demonſtrative dixit, *Hoc eſt corpus meum*; *hoc*, inquam, in neutro genere, ut ad corpus tantummodo referatur, non ad panem, qui in græco etiam maſculini eſt generis, ὁ ἄρτος.

Inſuper admiſſa ſemel hypoſtatica unione panis cum Chriſti corpore, plurima ſequerentur abſurda, veluti panem ex Virgine natum, paſſum, crucifixum, mortuum eſſe, a mortuis reſurrexiſſe, ſedere ad dexteram Patris, a nobis adorandum eſſe, & alia quæcunque de corpore Chriſti vere dici poſſunt. Viciſſim quoque ſequeretur ea omnia corpori Chriſti competere, quæ vere de pane dicuntur. Quod totum conſequens eſſet propter idiomatum communionem, quam hypoſtatica diverſorum unio neceſſario ſecum trahit, ut ex dictis apparet in lib. 18. c. 11.

Jam vero quod Lutheranorum alii confitentur, nullam hic quidem iſtiuſmodi unionem admittendam eſſe ſed tantum, modo panem in propria natura ſubſiſtentem certa quadam habitudine Dominico corpori copulari; non minus id verbis Evangelicis adverſatur. Non enim Chriſtus aſſeruit, Hic, ideſt hoc loco eſt corpus meum, ut intelligi poſſit, ſimul ibi panem cum corpore Chriſti manere; ſed dixit, *Hoc eſt corpus meum*, aperte ſignificans, hoc ipſum quod ad ſenſum demonſtrabat Apoſtolis, aliud non eſſe quam corpus ſuum.

Si præterea Domini corpus non hypoſtatica, ſed ſimplici unione pani conjungitur, verum non erit, quod Evangeliſtæ teſtantur, Apoſtolos manducaſſe Domini corpus; ſicuti neque verum foret Filium Dei paſſum, crucifixum, mor-

mortuum eſſe, ſi homo ille qui paſſus, crucifixus, mortuus eſt, fuiſſet Filio Dei ſola morali unione conjunctus, uti Neſtoriani volebant.

Probatur 2. ex Patribus, qui omnes diſerte negant in Euchariſtia panis viniquе ſubſtantiam remanere. Cyrillus Hieroſol. Catech. Myſtag. 4. inquit: *Aquam aliquando mutavit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum, in Cana Galilææ ſola voluntate; & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in ſanguinem transmutaverit?* Additque deinceps: *Hoc ſciendum, & pro certiſſimo habendum, panem hunc, qui videtur a nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe corpus Chriſti: & vinum, quod a nobis conſpicitur, tametſi ſenſui vinum eſſe videatur, non tamen vinum, ſed ſanguinem eſſe Chriſti.*

Gregorius Nyſſenus in Orat. Catech. c. 37. ait: *Recte & nunc verbo Dei ſanctificatum panem in corpus Dei Verbi tranſmutari credo.* Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. *Qui hæc dona ſanctificat, & tranſmutat, ipſe eſt*, nempe Chriſtus. Denique Damaſcenus in lib. 4. Orthodoxæ fidei c. 13. *Panis ipſe, & vinum in corpus, & ſanguinem Dei tranſmutatur.* Indeque ſubjungit: *Illud vero dicere alienum non eſt, quemadmodum naturaliter panis per comeſtionem, vinumque & aqua per potionem, in corpus & ſanguinem comedentis & bibentis tranſmutantur, ut nec corpus fiant aliud a corpore ejus, quod prius extabat: ſic panem qui in Protheſi præparatus fuit, vinum item, & aquam per Spiritus Sancti invocationem. & adventum, modo, qui naturæ viribus, & conditione ſublimior eſt, in Chriſti corpus & ſanguinem converti, ut nequa-*

quam

quam duo ſint, ſed unum & idem.

Ex Latinis autem Patribus laudare ſufficiat S. Ambroſium, qui in lib. de Myſteriis c. 9. tranſmutationem iſtam variis illuſtrat exemplis, & inter alia ſcribit: *De totius mundi operibus legiſti:* Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt: Pſal. 148. v. 5. *Sermo ergo Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus eſt, novas rebus dare, quam mutare naturas.*

Plura poſtremo Concilia hoc fidei dogma decernunt, ac præſertim Lateranenſe IV. cap. *Firmiter*, Florentinum in Decreto pro Armenis, & Tridentinum quod in ſeſſ. 13. can. 2. inquit: *Si quis dixerit, in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini una cum corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, negaveritque mirabilem illam, & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, remanentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini, quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime tranſubſtantiationem appellat, anathema ſit.* Idem quoque legitur in ejuſdem ſeſſionis cap. 4.

Objicies 1. Sicut Chriſtus Euchariſtiam inſtituens ait, *Hoc eſt corpus meum*, ita Joan. 6. v. 51. inquit, *Ego ſum panis*. Atqui dum dixit, *Ego ſum panis*, non ſe mutavit in panem: Dicens ergo, *Hoc eſt corpus meum*, panem in corpus ſuum minime tranſmutavit.

Deinde, inquiunt Lutherani, de ferro quod pervaſerit ignis, recte dicimus, *Hic eſt ignis*, & de dolio quod vino ſit plenum, *Hoc eſt vinum*,

num, & de crumena quæ pecuniam continet, *Hæc eſt pecunia;* nulla facta mutatione ſubſtantiæ aut in ferro, aut in dolio, aut in crumena. Cur ergo ex conſimili propoſitione, *Hoc eſt corpus meum*, ſubſtantiæ mutationem inferendam eſſe defendimus? Sane illationis hujuſce vim non ſenſit Ven. Scotus affirmans in 4. d. 11. q. 3. ex verbis conſecrationis, abſolute loquendo, non colligi, quod panis vinique ſubſtantia ſimul cum Chriſti corpore & ſanguine in Sacramento non maneat.

Præterea, Euchariſtia appellatur *panis*, Lucæ 24. v. 35. & in 1. ad Cor. 10. v. 16. Remanet igitur ibi ſubſtantia panis. Panem quoque Euchariſtiam non raro Patres appellant; ut patet ex Auguſtino in lib. 3. de conſenſu Evang. c. 25. & Cyrillo in Catech. 4. Myſtagogica, aliiſque non paucis.

Reſp. ad 1. Chriſtum de ſeipſo dixiſſe, *Ego ſum panis*, non efficiendo, ſed enunciando; cum ipſe ex ſeſe ſit *Panis Dei*, *Panis vitæ*, *Panis de cœlo verus*. At dum dixit, *Hoc eſt corpus meum*, id efficiendo protulit, cum communis panis ex ſeſe non ſit ipſum Chriſti corpus; adeoque tunc panem in corpus ſuum recte dicitur tranſmutaſſe.

Ad 2. Res contenta de continente tunc dicitur, quum vel ex natura ſua, vel ex communi hominum uſu ad continendum ordinatur, uti adducta exempla commonſtrant. At ſi, *verbi gratia*, ſub pane abſconderetur argentum, vel homo latitaret in quercu, dici non poſſet, *Hoc eſt argentum*, ſed, *Hic eſt argentum;* neque, *Hoc eſt homo*, ſed, *Hic eſt homo.* Atqui panis neque ex natura ſua, neque ex communi uſu homi-

minum continet corpus Chriſti: ergo Chriſtus panem in manibus tenens, vere affirmare non potuiſſet, *Hoc eſt corpus meum:* ideoque panem in corpus tranſmutaſſe dicendum eſt.

Subtilis vero Doctor aſſeruit, quod ut veritatem *practicam* verba conſecrationis obtineant, neceſſe ſit, panis ſubſtantiam ſimul cum Chriſti corpore non manere; ex Chriſti enim inſtitutione propoſitio illa panem in ejuſdem Chriſti corpus reipſa convertit. Dumtaxat igitur opinatur, *ſpeculativam* ejuſdem propoſitionis veritatem adhuc ſubſiſtere potuiſſe, remanente ſubſtantia panis; quia verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, non demonſtrarent ſubſtantiam panis, ſed Chriſti corpus ſub pane contentum; ſicuti modo non demonſtrant accidentia, alioquin propoſitio falſa foret; ſed eorum ſenſus eſt, *Hoc ens ſub iſto ſenſibili ſigno contentum eſt corpus meum*. Cum vero verba illa, *Hoc eſt, &c*, accipienda reipſa ſint non *ſpeculative*, ſed *practice*; ſicuti aliæ etiam ſacramentales formæ ſignificant; aperte conſequitur, & quod ex ipſis conſecrationis verbis inferatur panis ſubſtantiam in Sacramento minime remanere, & quod Subtiliſſimi Doctoris opinio non faveat Lutheranis. Lege citatam Scoti quæſtionem n. 14.

Ad ultimum, Eucharistia *Panis* aliquando vocatur, non quod ſubſtantia panis in ea remaneat, ſed 1. quia ex pane confecta eſt; ſicut Exodi 7. v. 12. virga Aaron in colubrum verſa adhuc *virga* vocatur: 2. quia retinet panis accidentia, ſive ſpecies; quemadmodum Angeli interdum in Scriptura juvenes, aut viri dicuntur, quia ſub hominum ſpecie apparuerunt: 3. propter analogiam; ſicut enim panis corporali-

liter nutrit, ita Chriſti corpus ſpiritualiter vegetat; & ſicuti vinum corporaliter exhilarat, ita ſpiritualiter Chriſti ſanguis inebriat. Et hac ratione Chriſtus in Evangelio ſe panem vivum appellat, qui de cœlo deſcendit, vitamque mundo largitur.

At inſtant. Patres Euchariſtiam idcirco dixerunt panem, quia cum Domini corpore panis ſubſtantiam remanere putarunt. Chryſoſtomus enim in epiſt. ad Cæſarium Monachum oſtendens duas inconfuſas & impermixtas in Chriſto eſſe naturas, Euchariſtiæ exemplum adducit, aitque: *Sicut antequam ſanctificetur panis, panem nominamus; divina autem illum ſanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus eſt quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus eſt Dominici corporis appellatione, etiamſi natura panis in ipſo permanſit; & non duo corpora, ſed unum corpus Filii prædicamus: ſic & hic divina inſidente corpori natura, unum Filium, unam Perſonam, utraque hæc fecerunt.*

Clarius etiam Theodoretus hoc idem affirmat in Dialogo 2. qui Inſcribitur *Inconfuſus*, inquiens: *Neque enim ſymbola myſtica poſt ſanctificationem recedunt a ſua natura; manent enim in priori ſubſtantia, & figura, & forma, & videri, tangique poſſunt, ſicut & prius.*

His adde Gelaſium Papam, qui in libro *de duabus in Chriſto naturis* adverſus Eutychem ita ſcribit: *Certe ſacramenta, quæ ſumimus corporis & ſanguinis Chriſti, divina res eſt; propter quod & per eadem divinæ efficimur conſortes naturæ: & tamen eſſe non deſinit ſubſtantia, vel natura panis & vini.*

Reſp. quod Chryſoſtomus nomine φύσεως, nempe

pe *naturæ* , non ſubſtantiam proprie dictam , ſed accidentium complexionem intelligat ; uti ex ipſo textu colligitur. Negat enim poſt conſecrationem appellari poſſe panem , ſed ſolum Domini corpus ; atque duo corpora dici non poſſe, ſed unum : atqui ſi panis ſubſtantia remaneret , remaneret & nomen; ac duo corpora coexiſterent , corpus nempe Chriſti , paniſque ſubſtantia . Hunc præterea ſenſum expoſtulat Chryſoſtomi ſcopus, qui eo loci Synouſiaſtas impugnat affirmantes Verbum ita carnem factum , ut carnis proprietates perierint , idemque Verbum non in divinitate ſolum, ſed & in carne Patri conſubſtantiale prorſus evaſerit. Si itaque S. Doctor non ſolam accidentium complexionem, ſed & panis ſubſtantiam cum Chriſti corpore remanere dixiſſet, recte ex ejus ratiocinatione intuliſſent hæretici, non eſſe unam in Chriſto Jeſu perſonam ; quemadmodum non ſunt corpus unum caro ejus & ſubſtantia panis. Atque ita Chryſoſtomus Synouſiaſtas oppugnans Neſtorianæ hæreſi præluſiſſet . Neque demum oportet , ut quæ producuntur exempla , rei de qua agitur , undequaque conveniant; ſtultumque eſt hæſitare de fide Chryſoſtomi , qui hom. 24. in 1. ad Corinth. atque alibi paſſim Catholicum dogma confirmat.

Eodem in ſenſu excipienda ſunt Theodoreti verba ; nam loquitur de accidentali ſubſtantia , ac natura , per quam *corpus priorem babet formam , figuram , & circumſcriptionem* ; ut contra Eraniſtem oſtendat , corpus Domini poſt reſurrectionem , licet immortalitate donatum , adhuc tamen circumſcriptionem , prioreſque proprietates habere . Ibidem inſuper tranſub-
ſtan-

ſtantiationem adſtruit, dum de ſacris ſymbolis ita ſcribit : *Alia quidem ſunt ante Sacerdotis invocationem, poſt invocationem vero mutantur, & alia fiunt.*

Idem adhibeto reſponſum ad id quod ex Gelaſii libro objectum eſt, licet hunc ſuppoſititium eſſe non pauci ſuſpicentur. Eutychianam enim impugnat hæreſim, & Euchariſtiæ exemplum proferens, accidentium congeriem in pane & vino, eorundem ſubſtantiam, vel naturam appellat. Unde ait : *Sicut*, panis & vinum, *in divinam tranſeunt Sancto Spiritu perficiente ſubſtantiam*, ſive in ſubſtantiam corporis Chriſti, *permanente tamen in ſua proprietate natura; ſic iis ex quibus conſtat, proprie permanentibus unum Chriſtum integrum verumque permanere demonſtrant.*

Tandem, ut dictis uberiorem lucem afferamus, advertimus non eſſe apud Patres inſolitum, quod accidentium complexionem, naturaleſque vires ac proprietates, nomine *eſſentiæ*, *ſubſtantiæ*, ac *naturæ* deſignent. Ita Chryſoſtomus hom. 12. in Geneſim, agens de igne Babylonicæ fornacis, in quem injecti fuere tres pueri, ait, *Dominum, quando vult, elementa omnia in contrariam mutare eſſentiam*. Et in Pſal. 10. tum de eodem argumento, tum de leonibus loquens, in quorum foveam demiſſus eſt Daniel, inquit, *elementa propriæ oblita naturæ mutata fuiſſe in id, quod illis pueris utile fuit; neque feras amplius feras, neque fornacem fuiſſe amplius fornacem*. Hunc etiam loquendi modum uſurpant Theodoretus in Dialogo 2. Hilarius can. 10. in Matth. Ambroſius in Hexameron lib. 3. c. 2. aliique complures.

Objicies 2. Explicare Papiſtæ non poſſunt, quid fiat de pane, & vino, quæ in Chriſti corpus & ſanguinem converti defendunt: annihilanturne illa, an alio transferuntur? Exponi etiam nequit, qua actione Chriſti corpus præſens Sacramento reddatur; phyſicane, an morali dumtaxat; adductivane, uti Scotiſtæ, an productiva, uti Thomiſtæ contendunt. Ignoratur inſuper, num tranſubſtantiatio in inſtanti, an vero in temporis ſucceſſione contingat. Ipſum denique *tranſubſtantiationis* vocabulum, ſicut & dogma, ab Innocentio III. in Lateranenſi Concilio IV. in Eccleſiam primo fuit invectum: at Catholica fides novis revelationibus inniti non poteſt.

Reſp. ad 1. panis vinique ſubſtantiam alio non transferri, ſed deſtrui, non tamen per annihilationem, tum quia utriuſque ſubſtantiæ accidentia remanent; quod eſt contra annihilationis conceptum, qua totum redigi petit in nihilum: tum quia actio qua panis & vini ſubſtantia deſinit, non habet pro termino nihilum, ſed Chriſti corpus, & ſanguinem; *ideo*, inquit S. Bonaventura in 4. d. 11. p. 1. a. 1. q. 3. *communiter ponunt omnes, quod non eſt annihilatio panis, immo in meliorem ſubſtantiam commutatio: & ideo tranſubſtantiatio, non annihilatio talis converſio eſt, & ſic appellari debet.* Vide etiam S. Thomam in p. 3. q. 75. a. 3.

Ad 2. Quidquid de illa Scholaſticorum quæſtione dicatur, Catholico viro ſat erit credere, quod tranſubſtantiatio fiat, & quod accidentia in Sacramento remaneant. Ceterum actio illa qua Chriſti corpus Sacramento fit præſens, phyſica rectius, quam moralis, dicenda videtur; cum

cum per ipſam revera Deus panis ac vini ſubſtantiam deſtruat, & Chriſti præſentiam ſub conſecratis ſpeciebus efficiat. Dicitur autem melius adductiva, quam productiva; cum Chriſti corpus & ſanguinem non producat, ſed ea jam exiſtentia & producta faciat localiter præſentia ſpeciebus; ita nempe, *ut ubi erat panis, qui eſt cibus corporalis, ſit corpus Chriſti, non per mutationem in corpore Chriſti factam, ſed in pane in ipſum prius exiſtens tranſeunte:* inquit Seraph. Doctor in 4. d. 11. p. 1. a. 1. q. 1.

Ad 3. Tranſubſtantiatio in inſtanti perficitur; 1. quia, ait S. Bonaventura in citato loco q. 5. *ex parte panis nulla eſt reſiſtentia*; 2. quia tranſubſtantiatio *eſt a virtute infinita*; 3. quia *hic nulla eſt præparatio, & inductio proprietatum*. Eadem fere leguntur apud S. Thomam in p. 3. q. 75. a. 7.

Ad 4. Quod attinet ad tranſubſtantiationis dogma, id quod nos eo vocabulo explicamus, a Veteribus *converſionis, mutationis, tranſmutationis*, & *tranſelementationis* nomine deſignatum fuit, uti conſtat ex dictis. Quod vero ſpectat ad ipſam *tranſubſtantiationis* vocem, ea legitur apud Petrum Bleſenſem epiſt. 140. & apud Stephanum Eduenſem Epiſcopum in tract. de Sacram. Altaris c. 13. qui ante Lateranenſe Concilium floruerunt. Eadem præterea vox occurrit in Confeſſione Albigenſium, apud Baronium ad annum 1160. n. 28. Poſtremo recte nova vocabula uſurpantur ad novos refellendos errores, uti de vocibus ὁμοούσιος, & θεοτόκος alibi dictum eſt.

Poſtremo, ut ſuperius dicta clarius exponantur, cum S. Bonaventura in laudato loco q. 2.

notamus, quod „ ſi quæras, ſub quo genere „ motus, vel mutationis *tranſubſtantiatio* contineatur: Dicendum, quod hæc eſt mutatio „ ſingularis, quæ nullum ſimile plenum habet; aſſimilatur tamen in aliquo aliis. Quia „ enim in hac mutatione nihil commune manet, aſſimilatur creationi. Quia vero principium initiale non eſt nihil, ſed aliquid; „ ideo diſſimilis eſt creationi, & ſimilis generationi. Quia vero terminum finalem non „ habet aliquid de novo factum, ſed prius exiſtens; ideo eſt diſſimilis generationi, & ſimilis augmento. Quia vero corpus Chriſti „ ex hoc non creſcit, ſed in pluribus locis „ exiſtit; ideo diſſimilis eſt augmento, & ſimilis „ loci mutationi. Quia vero in alio loco exiſtit, & a proprio non recedit, ſed aliquid „ in ipſum tranſit; ideo omni motui, & mutationi diſſimilis eſt, & eſt prorſus mutatio „ ſingularis. Corruptioni vero, & diminutioni „ nullo modo aſſimilatur, quia operationes ſunt „ imperfectæ, quæ non decent divinam virtutem hæc operantem. Rurſus, quia in alteratione variantur accidentia ſenſibilia, & hoc „ non contingit huic Sacramento propter fidem, nec illi aſſimilatur.

CA-

CAPUT IX.

Nonnulla diluuntur dubia, quæ ſpectant ad realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam. Ubi & de cultu diſſeritur, qui eidem Sacramento debetur.

UT Candidati noſtri Catholicum dogma tranſubſtantiationis, & realis Chriſti præſentiæ in Euchariſtiæ Sacramento clarius diſtinctiusque percipiant, juvat hic dubia quædam breviter enodare; illudque ſit 1. an totus Chriſtus ſit ſub Euchariſticis ſpeciebus, & ſub qualibet illarum parte?

Reſp. cum Concilio Tridentino in ſeſſ. 13 c. 3. quod „ ſemper hæc fides in Eccleſia Dei „ fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Do„ mini noſtri corpus, verumque ejus ſangui„ nem ſub panis, & vini ſpecie una cum ipſius „ anima, & divinitate exiſtere; ſed corpus „ quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub „ vini ſpecie, ex vi verborum, ipſum autem „ corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub „ ſpecie panis, animamque ſub utraque, vi „ naturalis illius connexionis & concomitan„ tiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam „ ex mortuis reſurrexit, non amplius moritu„ rus, inter ſe copulantur: Divinitatem porro „ propter admirabilem illam ejus cum corpore,

 „ & ani-

„ & anima hypoſtaticam unionem. Quapro-
„ pter veriſſimum eſt, tantumdem ſub alteru-
„ tra ſpecie, atque ſub utraque contineri; to-
„ tus enim & integer Chriſtus ſub panis ſpe-
„ cie, & ſub quavis ipſius ſpeciei parte, totus
„ item ſub vini ſpecie, & ſub ejus partibus
„ exiſtit. " Lege S. Bonaventuram in 4. d. 11. p. 1. a. 1. q. 4.

In ejuſdem pariter ſeſſionis can. 3. laudata Synodus ita decrevit: *Si quis negaverit, in venerabili ſacramento Euchariſtiæ, ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, anathema ſit.* Ex quibus apparet, quod ſi poſt conſecrationem Euchariſticæ ſpecies dividantur in partes, ſub harum qualibet totus Chriſtus contineatur. Quæ ſane veritas ex ipſo Chriſti facto probatur. Ut enim habetur Lucæ 22. v. 17. dum ille conſecratum calicem Apoſtolis tradidit; *Accipite*, dixit, *& dividite inter vos*. Apoſtoli autem totum Chriſtum ſub qualibet earum ſpecierum parte ſumpſerunt.

Dubium itaque dumtaxat eſt, num etiam antequam ſpecierum ſeparatio fiat, totus Chriſtus ſit ſub qualibet ſpeciei parte; num vero potius dicendum ſit, totum illum ſub tota ſpecie, & partem ejus in ſpeciei parte contineri? Qua de re juxta communem Theologorum ſententiam affirmandum eſt, totum Chriſtum eſſe ſub ſingulis ſpecierum partibus, etiam prius quam illæ invicem ſeparentur: idque Seraph. Doctor in 4. d. 10. p. 1. a. 1. q. 5. affirmat *propter rationem inducentem & in converſione, & in fractione. In converſione, quia cum totum ſit homogeneum, non eſt major ratio, quare magis*

una

una pars in unam partem, quam in totum convertatur, ex quo non requiritur determinata pars. Unde Innocentius, in lib. de Myſter. Miſſæ c.8. Ego ſane conceſſerim, quod totalis panis in totale corpus convertitur: ita tamen quod nulla pars panis in aliquam partem corporis tranſit. *In fractione ſimiliter videmus, quod qua ratione poſt in qualibet parte totus eſt, eadem ratione ſimiliter & ante. Unde Innocentius* ibidem adjungit: Reor ſalva fidei majeſtate, quod ubi eſt panis conſecratus, totum corpus in ſingulis partibus contineatur: quod inde cognoſcitur, quoniam in quotcunque partes ſpecies dividantur, in ſingulis eſt totus Chriſtus. *Et hæc poſitio eſt probabilior, & huic magis conſentio, quia facit ad veritatem ſacramenti, & utilitatem fidei: &c.* Vide etiam Angel. Doctorem in p. 3. q. 76. a. 3.

II. quæritur, an modus, quo Chriſtus in Sacramento exiſtit, humani intellectus capacitatem excedat?

Reſpondet S. Bonaventura in 4. d. 10. p. 2. a. 2. q. 1. „ quod eſt loqui de intellectu noſtro, „ ut eſt humanus, vel ut eſt fidelis. Si ut eſt „ humanus, ſic intelligit converſus ad imagi„ nationem, & ſenſum, & judicat ſecundum „ cauſas intrinſecas, & inferiores: & ideo de„ ficit in aſſentiendo, quia non aſſentit, niſi „ ſecundum manuductionem, quæ ortum habet „ ab imaginatione, & ſenſu. Item, quia ju„ dicat ſecundum cauſas intrinſecas, & crea„ tas; & ita comparando potentiam continen„ di active ipſius hoſtiæ ad potentiam conti„ nendi paſſive Chriſti ipſius corporis, & quia „ invenit repugnantiam, & improportionabili-

„ tatem; ideo contradicit in ratiocinando. Et „ ita iſte articulus dicitur eſſe ſupra intelle- „ ctum, & contra intellectum, ſecundum quod „ eſt intellectus humanus.

„ Si autem loquamur de intellectu, ſecun- „ dum quod eſt fidelis; ſic dicendum quod aſ- „ ſentit ſecundum dictamen fidei, & ſecundum „ regulam veritatis æternæ: ideo ſufficit in aſ- „ ſentiendo, & concordat in ratiocinando. In- „ tellectus enim fidem habens, ſtatim credit, „ ex quo hoc propoſitum eſt ſibi; ſcilicet quod „ Chriſtus eſt ſub ſpeciebus illis, & hoc adju- „ tus lumine fidei. Similiter concordat in ra- „ tiocinando, quia aſpicit ad cauſas ſuperio- „ res: ſic enim dicit intellectus: Deus poteſt „ facere omne, quod eſt congruum: & fides „ aſſumit: Congruum eſt quod caro Chriſti „ exponatur in cibum: & ideo ratio concludit, „ quod Deus hoc poſſit ibi facere. Item, in- „ tellectus dicit, quod Veritas non poteſt di- „ cere falſum: & fides aſſumit: Veritas dixit, „ *Hoc eſt corpus meum*, & præcepit ut dice- „ retur: ergo dixit verum.

„ Cum ergo ſit in nobis duplex intellectus; „ ſcilicet fidelis, & humanus: ideo ſentimus „ in nobis aliquando colluctationes: Fidelis ta- „ men intellectus prævalet ei, qui eſt huma- „ nus, quia elevat ipſum extra animalitatem: „ attamen non ita elevat quod comprehendat, „ ut meritum fidei integrum maneat. Et hoc „ patet, quia intellectus humanus dicit, quod „ impoſſibile eſt, quod majus contineatur a „ minori: & fidelis reſpondet, quod verum „ eſt localiter, & corpus Chriſti magnum non „ eſt ibi localiter, ſed ſacramentaliter; & quam-

„ vis

„ vis illud ſit impoſſibile per naturam, tamen „ poteſt eſſe Deo poſſibile: & quia neſcimus „ quid Deus poſſit mutato modo eſſendi; ideo „ licet intellectus ſibi prævaleat, tamen nondum „ comprehendit.

III. quæri poteſt, num corporales Beatorum oculi videre valeant Chriſti corpus, uti ſub Euchariſticis ſpeciebus exiſtit?

Reponimus cum eodem Seraph. Doctore in citato loco q. 2. „ quod exiſtentia corporis „ Chriſti ſub Sacramento eſt ſublimata ſupra modum eſſendi & omnis corporis, & omnis rei „ corporalis & dimenſivæ: & ideo cum viſus „ non abſtrahat a quantitate, quia eſt de ratione ſenſatorum, & percipere habeat corpus ſecundum modum exiſtendi corporalem; „ dicendum eſt, quod nullo modo viſus quantumcumque glorioſus ad hoc attingit, ut videat ibi Chriſtum ſicuti eſt, etiamſi præſens „ ſit. Et ſi alicui miraculoſe oſtenſum eſt, nunquam tamen oſtenſum fuit in forma, quam „ ibi habet, ut communiter dicitur, quod oſtenſum fuit in forma parvuli: & ipſe eſt „ ibi ſecundum eandem quantitatem, quam „ habet in Cœlo, & ſic eſt in qualibet parte: „ & iſte modus exiſtendi abſtrahitur ab omni „ ſenſu. " De hoc atque de præcedente dubio legendi ſunt etiam S. Thomas in p. 3. q. 76. a. 7. & Ven. Scotus in 4. d. 10. q. 7. & 9.

IV. quæritur, an corpus Chriſti mobiliter, vel immobiliter in Sacramento ſubſiſtat?

Reſpondemus cum S. Thoma in p. 3. q. 76. a. 6. „ quod cum aliquid eſt unum ſubjecto, „ & multiplex ſecundum eſſe, nihil prohibet „ ſecundum aliquid moveri, & ſecundum ali-

„ quid

„ quid immobile permanere; ſicut corpori eſt
„ aliud eſſe album, & aliud eſſe magnum; un-
„ de poteſt moveri ſecundùm albedinem, &
„ permanere immobile ſecundum magnitudi-
„ nem. Chriſto autem nòn eſt idem eſſe ſe-
„ cundum ſe, & eſſe ſub hoc Sacramento; quia
„ per hoc quod dicimus ipſum eſſe ſub hoc
„ Sacramento, ſignificatur quædam habitudo
„ ejus ad hoc Sacramentum. Secundum igitur
„ hoc eſſe non movetur Chriſtus per ſe ſecun-
„ dum locum, ſed ſolum per accidens; quia
„ Chriſtus non eſt in hoc Sacramento, ſicut
„ in loco: . . . . quod autem non eſt in loco,
„ non movetur per ſe in loco, ſed ſolum ad
„ motum ejus, in quo eſt. Similiter autem
„ neque per ſe movetur ſecundum eſſe, quod
„ habet in hoc Sacramento, quacumque alia mu-
„ tatione, puta quantum ad hoc, quod deſi-
„ nat eſſe ſub hoc Sacramento; quia illud quod
„ de ſe habet eſſe indeficiens, non poteſt eſſe
„ deficiendi principium, ſed alio deficiente,
„ hoc deſinit eſſe in eo; ſicut Deus, cujus eſ-
„ ſe eſt indeficiens, & immortale, deſinit eſſe in
„ aliqua creatura corruptibili per hoc, quod crea-
„ tura corruptibilis deſinit eſſe: & hoc modo cum
„ Chriſtus habeat de ſe eſſe indeficiens & incor-
„ ruptibile, non deſinit eſſe ſub Sacramento, ne-
„ que per hoc quod ipſum deſinat eſſe, neque
„ etiam per motum localem ſui; . . . ſed ſolum
„ per hoc, quod ſpecies hujus Sacramenti deſi-
„ nunt eſſe: unde patet quod Chriſtus, per ſe
„ loquendo, immobiliter eſt ſub hoc Sacra-
„ mento.

V. petes, an dum Chriſtus Euchariſtiam in-
ſtituit, corpus ejus paſſibili vel impaſſibili mo-
do

do fuerit ſub Sacramento contentum?

Reſp. cum S. Bonaventura in 4. d. 11. p. 2. a. 2. q. 2. „ quod duplex eſt proprietas, quæ convenit „ corpori Chriſti. Quædam abſoluta, quædam „ relata ad locum. Proprietas abſoluta, quæ con- „ venit corpori Chriſti, ut in uno loco eſt, „ cum ſit una, convenit tamen ut in omnibus. „ Sed proprietas relata ad locum, cum ſit in „ diverſis locis, etſi conveniat ei in uno loco, „ non tamen oportet quod in omnibus. Unde „ non oportet, quod ſi corpus Chriſti ſit in „ multis locis, quod ſi movetur in uno, mo- „ veatur in altero. Similiter non oportet, quod „ ſi aliquis percutit ipſum in uno loco, quod „ in alio ſimiliter percutiat; quia talis opera- „ tio reſpicit præſentiam localem agentis. Ita „ ſimiliter non oportet, quod ſi videatur in „ uno loco, quod in alio videatur; quia hoc „ reſpicit præſentiam viſibilis. Concedendum „ ergo, quod Chriſtus corpus paſſibile, & mortale „ habebat ſub Sacramento; ſed tamen non pote- „ rat ibi ſibi paſſio inferri, quantumcunque ho- „ mo percuteret. Unde dicendum, quod ſub „ ſpeciebus illis erat paſſibilis, ſed erat ibi im- „ paſſibiliter. Unde loquendo de paſſione illata, „ ſi quæratur, utrum poſſet ibi pati? iſta diſtin- „ guenda eſt. Aut enim hoc, quod eſt, *ibi*, „ determinat actum, aut compoſitionem intel- „ lectam circa ſubjectum. Si determinat actum, „ falſa eſt; quia ſenſus eſt, quod ſub Sacra- „ mento poterat ei paſſio inferri: & hoc eſt „ falſum; quia ſicut ibi non poterat ſentire, „ ita nec poterat ei paſſio inferri. Si autem „ determinat compoſitionem intellectam circa „ ſubjectum, ſic locutio eſt vera; & eſt ſen-

„ ſus;

„ ſus: Exiſtens ibi poterat pati: quia ſi paſſio
„ in alio loco ei inferetur, etiam ibi paſſionem
„ ſentiret, & moreretur. Unde ſi fuiſſet reſer-
„ vatum corpus illud, habuiſſet plagas ſub Sa-
„ cramento, ſicut extra; ſed tamen non eſſet
„ illi ibi illata paſſio ſub tali modo exiſtendi.
„ Propter hoc dicunt Magiſtri, quod ibi exi-
„ ſtens erat paſſibilis paſſione illata ſibi alibi,
„ tamen erat ibi impaſſibiliter.

Et paulo inferius S. Doctor adjungit: „ Con-
„ ſtat, quod quando dedit Sacramentum, cor-
„ pus ejus actu, & habitu habebat proprieta-
„ tatem paſſibilitatis; ergo non habebat oppoſi-
„ tam: modum tamen exiſtendi in alio alium
„ habebat, qui modus ſublimabat ipſum ſupra
„ habere paſſionem, ac per hoc ſupra poſſibi-
„ litatem ſentiendi, ut erat ibi, vel contin-
„ gendi. Unde quamvis eſſet paſſibile, tamen
„ nunquam poterat ibi palpari, ſimiliter nec
„ paſſio ibi inferri.

At dices. Si Chriſtus paſſibile corpus ſuum præbuiſſet Apoſtolis, ſequeretur, quod ſi reſervatum fuiſſe Sacramentum in triduo mortis ejus, aut ſi quis ex Apoſtolis eo tempore conſecraſſet, jam corpus ſine anima in eodem Sacramento manſiſſet: ergo & imperfectum fuiſſet Sacramentum, & conſecrationis verba plenam virtutem, & efficaciam minime habuiſſent.

Reſpondet ibidem Seraph. Doctor, „ quod
„ Sacramentum eſſet perfectum ab efficacia, quia
„ corpus erat unitum divinitati, & eſſet per-
„ fectum a ſignantia, ſed tamen non a conti-
„ nentia. Et ratio hujus eſt, quia imperfectio
„ erat in ipſo ſignato, quia corpus erat mor-
„ tuum. Similiter dicendum, quod non eſt eſ-

„ ſe

„ ſe ibi animam virtute verborum, ſed propter „ conjunctionem: unde quia in triduo non erat „ conjuncta, ideo non eſſet ibi; non propter „ virtutem verborum, quæ modo ſit major, „ ſed propter alium ſtatum corporis: verba au- „ tem ſacramentalia ſunt ordinata ad conver- „ tendum in corpus, quale erat ſecundum ſta- „ tum prolationis verborum. “ Hac de re le- gendus eſt pariter S. Thomas in p. 3. q. 71. a. 3. & 4.

VI. quæres, an Chriſto in Euchariſtia exi- ſtenti exhibendus ſit latriæ cultus?

Reſp. affirmative. *Nullus itaque*, ait Tridentina Synodus in ſeſſ. 13. cap. 5. *dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſtifideles, pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic ſanctiſſimo Sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus eſt adorandum, quod fuerit a Chriſto Domino, ut ſumatur, inſtitutum; nam illum eundem Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater Æternus introducens in orbem terrarum, dicit:* Et adorent eum omnes Angeli Dei: *quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe, Scriptura teſtatur*.

In eadem inſuper ſeſſione ſacroſancta Synodus hunc canonem *6.* contra Calvinum, alioſque Novatores adjungit: *Si quis dixerit, in ſancto Euchariſtiæ ſacramento Chriſtum unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum, &c. anathema ſit.* Recolite quæ de hoc argumento diximus in lib. 20. c. 1.

Dices. Mos ille Chriſtum adorandi in Sacramento latentem, exponit Fideles idololatriæ pe-

periculo. Fieri enim ex Sacerdotis incuria, vel nequitia poteſt, ut hoſtia, quæ adoranda proponitur, conſecrata non ſit.

Reſp. adorationem ex adorantis intentione pendere. Qui igitur intendens Chriſtum adorare, ipſum ſub hoſtia non conſecrata adoraret, error ejus non circa actionem, ſed circa objectum ſolummodo verſaretur. *Sufficit*, inquit S. Bonaventura in 3. d. 9. a. 1. q. 6. *quod adorans in habitu hanc habeat conditionem, videlicet, Si conſecratio debito modo facta eſt: unde pauci, vel nulli fideles in hac adoratione peccant: omnes enim accedunt cum conditione iſta*..

Ad Euchariſtiæ denique cultum pertinent, quæ in laudata ſeſſ. & cap. ſubjunguntur: „ Declarat præterea Sancta Synodus, pie & religioſe admodum in Dei Eccleſiam inductum fuiſſe hunc morem, ut ſingulis annis peculiari quodam & feſto die præcelſum hoc & venerabile Sacramentum ſingulari veneratione, ac ſolemnitate celebraretur, utque in proceſſionibus reverenter, & honorifice illud per vias & loca publica circumferretur: æquiſſimum eſt enim, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cum Chriſtiani omnes ſingulari ac rara quadam ſignificatione gratos, & memores teſtentur animos erga communem Dominum, & Redemptorem pro tam ineffabili & plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus repræſentatur: atque ſic quidem oportuit victricem veritatem, de mendacio, & hæreſi triumphum agere, ut ejus adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti vel debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore af-

„ fe-

„ fecti & confuſi aliquando reſipiſcant. “ Lege ejuſdem ſeſſionis citatum can. *6*.

Ex hucuſque dictis evidentiſſime demonſtratur, SS. Euchariſtiæ Sacramentum in re permanente conſiſtere, non in ſumptione dumtaxat & uſu, uti Calvinus aliique aſſeruerunt hæretici. Chriſti enim verba, quibus conſecratur panis & vinum, etiam ante ſumptionem & uſum, id efficiunt quod ſignificant; cum vera ſint, perfectumque ſenſum includant: illis ergo prolatis, etiam independenter ab uſu, Chriſti corpus & ſanguis ſub ſpeciebus panis & vini realiter ac permanenter præſens efficitur. Hinc & a Chriſto prius dictum fuit, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*, quam Apoſtoli reipſa comederent, biberentque: nam ideo comedere ac bibere juſſum eſt illis, quod jam Chriſti corpus & ſanguis adeſſent. Matthæi inſuper c. 26. v. 28. & Lucæ 22. v. 20. non ſolum os bibentis, ſed *Calix* dicitur ſanguinem continere. Idem denique Catholicum dogma probatur ex antiquiſſima Eccleſiæ praxi, qua ad Fidelium uſum, ac præcipue ad morientium viaticum Euchariſtia ſedulo reverenterque ſervata eſt. Lege Synodum Tridentinam in ſeſſ. 13. cc. 3. & 6. necnon can. 4. & 7.

CA·

CAPUT X.

De Euchariſtiæ Miniſtro.

DUplex Euchariſtiæ miniſterium diſtinguendum eſt: alterum nempe, quod in conſecrando; alterum, quod in diſpenſando conſiſtit. De utroque nunc breviter diſſeremus, cum alibi, ac præſertim in lib. 24. cap. 9. & ſeq. plura huc revocanda ſcripſerimus.

Propoſitio 1. Solus Sacerdos eſt Euchariſtiæ conſecrandæ Miniſter.

Probatur cum S. Bonaventura in 4. d. 13. a. 1. q. 2. „ In veteri Teſtamento, ex quo Templum eſt factum, ſolis Sacerdotibus licebat „ offerre ſacrificium: ergo ſi figura fuit vera, „ & debet ei veritas reſpondere; patet &c.

„ Item: Apoſtolus ad Hebr. c. 5. v. 1. dicit, quod Pontifex conſtituitur, ut dona, „ & ſacrificia offerat pro peccatis: ergo qui „ non eſt conſtitutus Sacerdos, non poteſt.

„ Item: In omni gente, etiam inter idololatras, in quibus ponitur cultus, aliquibus perſonis ſpecialiter committitur poteſtas offerendi, quæ dicuntur Sacerdotes: ergo ſi Eccleſia eſt ordinatiſſima, videtur quod Chriſtus „ aliquibus hoc officium debuit dare: ſed diſtributio officiorum in Eccleſia debet eſſe ordinata ad unum: ergo hi ſolum hoc poſſunt, „ qui ad hoc per Principes, & Pontifices Eccleſiæ ordinantur: ſed hi ſunt Sacerdotes: „ ergo &c.

„ Di-

„ Dicendum *itaque eſt*, quod ſoli Sacerdotes „ poſſunt conficere, & ſi alii conficiunt, nihil „ omnino faciunt: & hoc quidem docet fides „ noſtra, quam ab Apoſtolis percepimus, & „ ipſi a Domino: unde ordinaverunt Eccleſiam „ ſecundum Dei inſtitutionem. Et quia Apo„ ſtoli, & eorum poſtmodum Succeſſores pote„ ſtatem conficiendi perſonis ſpecialibus contu„ lerunt, quas & Sacerdotes appellaverunt; „ ideo ſolum illis tenet fides licitum eſſe. Huic „ conſonat ratio, quod Sacramentum illud, „ quod in magna reverentia habendum fuit, „ ſpecialibus perſonis commiſſum eſt, & com„ mitti debuit; aut ergo ratione ſanctitatis, aut „ auctoritatis. Si ſanctitatis (ut dicunt hæretici): „ tunc ergo nemo eſt certus utrum conficiat, & „ ſalus noſtra pendet ex aliena bonitate. Si au„ ctoritatis, & auctoritas poteſt tam bonis, „ quam malis concedi, & hanc vocamus ordi„ nem Sacerdotii; conſtat ergo, quod illi ſoli „ poſſunt.

Ad hujuſce dogmatis confirmationem accedit ſacrorum Conciliorum auctoritas. Nicænum namque Concilium 1. can. 18. reprimens Diaconorum audaciam, qui præſumebant Euchariſtiam diſpenſare Presbyteris, inquit: *Neque regula, neque conſuetudo tradit, ut hi qui offerendi ſacrificii non habent poteſtatem, his qui offerunt, corpus Chriſti porrigant*. Legitur etiam in Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. *Hoc utique Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus ſecundum claves Eccleſiæ, quas conceſſit Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Jeſus Chriſtus*. Poſtremo Synodus Tridentina in ſeſſ. 22. cap. 1. poſtquam aſſeruit,

Chriſtum corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtuliſſe, ſic pergit: *Ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, & eiſdem, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba:* Hoc facite in meam commemorationem, *uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit.*

Ejuſdem denique traditionis teſtes ſunt SS. Patres, quos inter legere poteris Juſtinum in Apologia 2. Epiphanium in hæreſi 79. Chryſoſtomum in lib. 3. de Sacerdotio c. 5. Hieronymum in epiſt. ad Evangelum, Auguſtinum in epiſt. 228. ad Honoratum, &c.

Propoſitio 2. Solus etiam Sacerdos eſt diſpenſandæ Euchariſtiæ miniſter; quamvis aliquando Diaconi ex Antiſtitum juſſu & delegatione Euchariſtiam, ſub vini præſertim ſpecie, diſpenſaverint.

Probatur 1. pars cum S. Thoma in p. 3. q. 82. a. 3. „ Ad Sacerdotem pertinet diſpenſatio „ corporis Chriſti propter tria. Primo quidem, „ quia ipſe conſecrat in perſona Chriſti. Ipſe „ autem Chriſtus ſicut conſecravit corpus ſuum „ in Cœna, ita & aliis ſumendum dedit: unde ſicut ad Sacerdotem pertinet conſecratio „ corporis Chriſti, ita ad eum pertinet diſpenſatio. Secundo, quia Sacerdos conſtituitur „ medius inter Deum, & populum: unde ſicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona ſanctificata „ divinitus populo tradere. Tertio, quia in „ reverentiam hujus Sacramenti, a nulla re contingitur niſi conſecrata; unde & corporale,

„ &

„ & calix conſecrantur, & ſimiliter manus Sacerdotis, ad tangendum hoc Sacramentum: unde nulli tangere licet, niſi in neceſſitate; „ puta ſi caderet in terram, vel in aliquo alio „ neceſſitatis caſu." Legendus eſt etiam hac de re Ven. Scotus in 4. d. 13. q. 2.

Idem præterea docet Synodus Tridentina in ſeſſ. 13. c. 8. ita ſcribens: *Semper in Eccleſia Dei mos fuit, ut laici a Sacerdotibus communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes ſeipſos communicent. Qui mos tanquam ex traditione Apoſtolica deſcendens jure ac merito retineri debet*. Additque in ſeſſ. 23. c. 1. a Domino Salvatore *Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus in ſacerdotio, poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus, & ſanguinem ejus*. Id denique ex laudato ſuperius Nicæno canone confirmatur.

Probatur 2. pars. Diaconos olim Euchariſtiam diſpenſaſſe, præſertim ſub ſpecie vini, colligitur ex Juſtino, qui in Apologia 2. ſcribit: *Abſentibus autem per Diaconos* Euchariſtia *mittitur*. Cyprianus etiam in lib. de lapſis ait: *Ubi vero ſolemnibus adimpletis, calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, &c.* Item Auguſtinus ſerm. 304. de Laurentio dicit, *illum Romæ, Diaconi officium geſſiſſe, ibique ſacrum Chriſti ſanguinem miniſtraſſe*. Quod vero id ex Antiſtitum juſſu ac delegatione fecerint Diaconi, conſtat ex Concilio Carthagin. IV. quod can. 38. conſtituit, *ut Diaconus præſente Presbytero Euchariſtiam corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget*. Decrevit pariter Arelatenſe I. can. 15. quod *Diaconus corpus Chriſti præſente Presbytero tradere non præſumat*. Denique Ge-

laſius I. in epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ ſcribit: *Diaconi ſacri corporis Chriſti prærogationem ſub conſpectu Pontificis ſeu Presbyteri, niſi his abſentibus, jus non habent exercendi.*

Objicies 1. contra 1. propoſ. Tertullianus in lib. de Exhortatione caſtitatis c. 7. monogamiæ neceſſitatem adſtruit, ex quo bigami a Sacerdotio arceantur, aitque: *Nonne & laici Sacerdotes ſumus? Scriptum eſt, Regnum quoque nos & Sacerdotes Deo & Patri ſuo fecit. Differentiam inter ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus. Adeo ubi Eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi ſolus.* Ex quibus, ſicut etiam ex contextu, deducitur cenſuiſſe Tertullianum, quod Chriſtiani omnes ſint vere ac proprie Sacerdotes.

Reſp. juxta probabiliorem opinionem, quod Tertullianus ibi de Sacerdotio late accepto loquatur; de quo & in lib. ad Scapulam c. 2. ait, *Sacrificamus; ... quomodo præcepit Deus, pura prece*: & in Apologetico c. 30. *Offer opimam & majorem hoſtiam Deo, quam ipſe mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profectam*. Hinc objecto in loco Tertullianus agnoſcit ſpeciale Sacerdotium, quod conſtituit *Eccleſiæ auctoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus*; quæ verba in Tertullianea phraſi ſignificant *originem*, & *inſtitutionem* ab Apoſtolis derivatam, & *characterem* collatum impoſitione manuum preſbyterii, ſicut in lib. 2. de Euchariſtia c. 8. Albaſpinæus oſtendit.

Neque Tertulliani ſcopus de monogamia tractan-

ſtantis reſponſionem iſtam infringit: ſenſus enim ratiocinationis, quæ conſequitur, eſt, neminem poſſe gratiam promereri oratione, & fide, quæ ſunt ſpecies quædam ſacræ oblationis; dum qui orat, & credit, licet proprie non ſit Sacerdos, (hæreticorum enim amentia eſt, ut *laicis ſacerdotalia munera injungant*; inquit ipſe Tertullianus de præſcript. c. 41.) *agit* tamen *pro Sacerdote*, uti poſt objecta verba ſubjungitur; neminem, inquam, promereri gratiam poſſe, niſi affectus ita ſit animo, ut ſeſe caſtitatis amore demonſtret obeundis Sacramentis idoneum.

Nonnulli tandem exiſtimant intelligendum Tertullianum de oblatione, quam perſecutionis tempore Fideles ſecum jam a Sacerdote conſecratam in cryptas latebraſque ferebant; ibique adhibitis precibus aut major natu minoribus diſtribuebat, aut manibus ſuis unuſquiſque ſumebat: qua de re plura leges apud Berti, Tournely, Gotti, Juenin, alioſque Theologos.

Objicies 2. Frumentius laicus ad Indos, vel Æthiopes profectus, eos qui illuc appulerant, hortatus eſt, *eo more, qui ſub Romano imperio fieri ſolebat, & convenire, & ſacra celebrare*: inquit in lib. 2. c. 23. H. E. Theodoretus. Panem etiam in agro a paſtoribus conſecratum, in carnem converſum fuiſſe teſtantur Honorius Auguſtodunenſis in Gemma Animæ, & Albinus Flaccus in lib. de divinis Officiis. Tandem in veteri Martyrologio pridie Kalendas Junii legitur, S. Petronillam obiiſſe, *tertio celebratis Dominicæ oblationis myſteriis*.

Reſp. ad 1. Frumentium adhortatum fuiſſe eos qui ad Indos commeaverant, ut ad offerendas Deo preces, non ad faciendum ſacri-

ficium convenirent: nam Rufinus, ex quo Theodoretus hanc exſcripſit hiſtoriam, lib. 1. cap. 9. ait Frumentium negotiatoribus cum pietate educatis, qui eo navigarunt, perſuaſiſſe, *ut conventicula per loca ſingula facerent, ad quæ ritu Romano orationis cauſa confluerent*. Nec aliter ſcribunt Socrates, lib. 1. c. 19. & Sozomenus lib. 2. c. 24. Adde, quod, uti in citato loco refert Theodoretus, Frumentius ad ſtabiliendam apud Indos Catholicam religionem reverſus Alexandriam Sacerdotes a S. Athanaſio poſtulavit, atque hic ipſi Frumentio *ſacerdotalem gratiam* impertivit, immo, ut addunt Socrates & Sozomenus, etiam *Epiſcopatus honorem*.

Ad 2. Factam ad ruſticorum verba panis commutationem, non verborum virtuti, ſed omnipotentiæ Dei punientis ipſorum ruſticorum audaciam, tribuunt eo loci Honorius, & Albinus: qui etiam id narrant ex incerto vulgi rumore, appoſito verbo, *dicitur*, *fertur*.

Ad 3. Legitur in Vita SS. Petronillæ & Feliculæ, non ipſam Petronillam, ſed Nicomedem Presbyterum Chriſti myſteria celebraſſe. Vide Acta SS. ab Henſchenio edita tomo 7. Maji pag. 420.

Objicies 3. Sacerdos hoc Sacramentum conficit in perſona Chriſti: ſed quilibet juſtus, licet laicus, eſt Chriſti membrum, eidemque per charitatem unitur: ergo &c. Deinde Sacramentum iſtud conſecratur virtute verborum: at verborum ſignificatio non mutatur, ſive a Sacerdote, ſive a laico proferantur. Poſtremo dicendum videtur, ſaltem Diaconos habere jus conſecrandi: nam apud Ambroſium in lib. 1. de Of-

Officiis c. 41. Laurentius ita Xiſtum ad martyrium proficiſcentem allocutus eſt: *Experire certe utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis conſecrationem.*

Reſp. ad 1. cum S. Thoma in p. 3. q. 82. a. 1. ad 2. *quod laicus juſtus unitus eſt Chriſto unione ſpirituali per fidem, & charitatem, non autem per ſacramentalem poteſtatem:* additque S. Bonaventura in loco ſuperius laudato, *quod non conſideratur in poteſtate conficiendi dignitas, ſed tantum auctoritas, quæ eſt in Sacerdotibus ratione characteris.*

Ad 2. jam patet reſponſio. Uti enim Doctor Angel. eodem in loco ad 1. ait: *Virtus conſecrativa non ſolum conſiſtit in ipſis verbis, ſed etiam in poteſtate Sacerdoti tradita in ſua conſecratione, & ordinatione cum ei dicitur ab Epiſcopo:* Accipe poteſtatem offerendi in Eccleſia ſacrificium, tam pro vivis, quam pro mortuis.

Ad 3. Antiquiſſima MSS. quæ ſuperant ætatem octingentorum annorum, non *conſecrationem* habent, ſed *diſpenſationem*, ſicut etiam in Breviario recitatur. Et licet Benedictini in Ambroſiana editione juxta complurium codicum fidem *conſecrationem* pro diſpenſatione poſuerint, idem tamen utroque vocabulo ſignificatur: nam Dominici ſanguinis communione ſanctificamur, & conſecramur; & etiamnum Sacerdos immittens in calicem particulam hoſtiæ, dicit: *Hæc commixtio, & conſecratio, &c.*

C A P U T XI.

De ejuſdem Sacramenti ſubjecto.

HActenus de Euchariſtiæ Miniſtro, nunc de ejuſdem ſubjecto dicendum eſt, ſive de iis, quibus vel danda, vel deneganda eſt Euchariſtiæ communio. Primo itaque quærimus, an Sacramentum iſtud ſit porrigendum infantibus?

Reſp. Si præſens ſpectetur Occidentalis Eccleſiæ diſciplina, quæ a duodecimo ſeculo obtinet, Euchariſtia infantibus danda non eſt: olim tamen factum id legimus; & etiamnum Græci, Syri, & Copti priorem retinent diſciplinam, ob quam redarguendos non eſſe recte ſentiunt plures graveſque Theologi.

Hac de re agens Synodus Tridentina in ſeſſ. 21. cap. 4. docet, *parvulos, uſu rationis carentes, nulla obligari neceſſitate ad ſacramentalem* ***Euchariſtiæ communionem:*** *ſiquidem per Baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt. Neque ideo tamen damnanda eſt Antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit. Ut enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controverſia credendum eſt.*

Cen-

Cenſent nonnulli, ex quibus Eſtius & Gotti, cauſam quæ Patres movit ad permittendam infantibus Euchariſtiam fuiſſe, ut efficacius ab idolorum ſacrificiis Fideles abſtraherent; in illis enim idolothyti pars ingeri in infantium etiam ora ſolebat, ut patet ex S. Cypriano in lib. de lapſis. Apud nos autem priſtina conſuetudo fuit abolita, non una ex cauſa. Primo nempe, quia puerulí, ut ait Catechiſmus Rom. in p. 2. c. 4. n. 62. , *neque ſacram Euchariſtiam a communi & profano pane ſciunt diſcernere, neque ad eam accipiendam pietatem animi, & religionem afferre poſſunt:* proindeque in re minime ad ſalutem neceſſaria, tanti Sacramenti reverentia præponderare debet augmento illi gratiæ, cujus defectu nullum ſpiritale detrimentum parvuli patiuntur. 2. quia nequeunt infantes ſpeciem panis digerere, ſpeciem vero vini facile vomendo rejicerent. 3. quia per recentiorem Eccleſiæ uſum aperte illorum refellitur error, qui aſſerunt pueros Baptiſmate regeneratos non poſſe abſque Euchariſtia ſalvari; qua de re infra tractabimus.

II. quæritur, an amentibus, ſurdis, mutis, & energumenis danda ſit Euchariſtia?

Reponimus, cum Catechiſmo Rom. laudato in loco n. 64. *Amentibus, qui tunc a pietatis ſenſu alieni ſunt; Sacramenta dare minime oportet: quamvis, ſi antequam in inſaniam inciderint, piam, & religioſam animi voluntatem præ ſe tulerint, licebit eis in fine vitæ, ex Concilii Carthaginenſis decreto Euchariſtiam adminiſtrare, modo vomitionis, vel alterius indignitatis, & incommodi periculum nullum timendum ſit.* Inſertus eſt Canon 76. Concilii IV. Carthagi-

nen-

nenſis ſecundæ parti Decreti, XXVI. q. 6. cap. *Is, qui pœnitentiam*. Denique de amentibus, qui rationis uſum nunquam habuerunt, idem ac de infantibus juxta præſentem Eccleſiæ praxim judicium ferendum eſt.

Mutis etiam, ſurdiſque, ſi per nutus ac ſigna præ ſe ferunt conceptum de peccatis dolorem, piamque animi præparationem, denegandam non eſſe Euchariſtiam ſuadet ratio, omneſque conſentiunt. Ipſis quoque energumenis, niſi actu vexentur a dæmone, non eſt deneganda communio. Arauſicana enim Synodus I. anno 441. hunc edidit canonem num. 14. *Energumeni jam baptizati, ſi de purgatione ſua curant, & ſe ſollicitudini Clericorum tradunt, monitiſque obtemperant, omnimodis communicent, ſacramenti ipſius virtute vel muniendi ab incurſu dæmonii, quo infeſtantur, vel purgandi, quorum jam oſtenditur vita purgatior*. Hinc narrat S. Proſper in lib. de prædict. & promiſſ. Dei c. 6. puellam Arabam accepta Dominici corporis particula a dæmone liberatam. Lege S. Thomam in p. 3. q. 80. a. 9.

III. Quid dicendum putas de afficiendis extremo ſupplicio?

Ultimo ſupplicio plectendis denegata eſt aliquando Euchariſtia, in Gallia præſertim, & in Hiſpania. Nunc apud Hiſpanos contrarius obtinet uſus: Galli vero in priori conſuetudine perſeverant. Momenta quæ perſuadent concedendam Euchariſtiam extremo plectendis ſupplicio, juxta praxim fere ubique gentium ſervatam, plurima proferuntur; at illud præcipuum eſt quod petitur ex Statuto XI. Synodi Remenſis anno 630. ubi legitur: *Cur ad mortem condem-*

demnatis renuitur Euchariſtia , cum iis maximè conducat ad ſpem , & ſecuramen certi deceſſus , & præſentis agonis ? Unde bene ſcribit Dominicus Soto Hiſpanus in 4. d. 12. q. 1. a. 11. *Cum ſæpe per hoc ſacramentum fiat homo ex attrito contritus , & ſuſcipiat gratiam , quam non recepit in pœnitentia . Atque adeo uſu ſæpe venire poſſet ; ut defectu Euchariſtiæ anima ejus periret , qui alioquin ſalvus fieret .* Hac de re bene pertractat P. Berti in lib. 33. c. 16.

Quod de afficiendis ſupplicio diximus , dicendum eſt pariter de omnibus , etſi ſceleſtiſſimis , qui morti proximi pœnitentiam agunt , nec ratione privantur . Aliquando utique lapſis communio denegata eſt in extrema quoque vitæ periodo ; at mutata eſt poſtmodum rigidior ejuſcemodi diſciplina . Quare Gregorius III. in epiſt. ad Bonifacium n. 7. ſcribit : *De his vero , qui patrem , matrem , fratrem , aut ſororem occiderint , dicimus , ut toto vitæ tempore corpus Dominicum non ſuſcipiant , niſi in ſuo exitu pro viatico .* Quod etiam plures Synodi ſtatuerunt , ac præſertim Nicæna generalis I. can. 18.

IV. quæritur , num Euchariſtia danda ſit mortuis ?

Reſp. dari non poſſe . Ut enim Trullana Synodus ait can. 83. *Nemo mortuorum corporibus Euchariſtiam communicet . Scriptum eſt enim :* Accipite , & comedite . *Mortuorum autem corpora non poſſunt accipere , nec comedere .* Idem quoque decretum eſt in Carthag. Concilio III. can. 6. & in Antiſiodorenſi can. 12.

Uſus olim invaluit collocandi ſacrum Domini corpus ſupra defunctorum pectora , præſertim Epiſcoporum , eoſque ita ſepeliendi . At in

in deſuetudinem mos ille abiit: ſatiſque defunctorum quieti ac pietati conſultum eſt cœmeteriorum benedictione, de qua legendum eſt Pontificale Rom. in p. 2. tit. 6.

V. petes, an peccatoribus dare liceat Euchariſtiam?

Reſp. peccatores quoſdam occultos eſſe, quorum nempe crimina ſunt ſecreta; quoſdam vero publicos, quorum ſcilicet crimina notoria ſunt, & in publicam devenere notitiam, aut per evidentiam facti, quæ nulla poteſt tergiverſatione celari, aut per judicium vel ſæculare, vel Eccleſiaſticum, in quo rei de peccato ſuo fuere convicti.

Si itaque peccator occultus Euchariſtiam publice petierit, eidem deneganda a Sacerdote non eſt ob multiplicem rationem, quam Seraph. Doctor adducit in 4. d. 9. a. 2. q. 4. inquiens: *Prima eſt, quia neſcit, utrum Deus occulte operetur. Secunda eſt, ne prodat crimen ejus. Tertia eſt, ne alios ſcandalizet. Quarta, quia ille jus habet in facie Eccleſiæ, & tunc tenetur illi jus ſuum petenti reddere*. Id etiam Chriſtus ſuo confirmavit exemplo, dum in ultima cœna corpus & ſanguinem ſuum Judæ proditori minime denegavit; uti ibidem aſſerit S. Bonaventura, cui conſonat S. Thomas tum alibi, tum in p. 3. q. 81. a. 2. quæ etiam ſententia placuit Auguſtino in Pſal. 10. Chryſoſtomo hom. 82. in Matth. aliiſque quampluribus.

Quod ſi peccator occultus Euchariſtiam privatim poſtulaverit, deneganda eſt illi; nullum enim ſcandalum, vel infamiæ periculum eo in caſu conſequitur. Præterea, ut citato in loco docet S. Bonaventura, *peccator indignus eſt, &*

in

In veritate non habet jus: habet tamen jus ſecundum judicium Eccleſiæ; quia non conſtat de peccato, nec conſtare poteſt: & ideo quando Sacerdos operatur ſecundum veritatem, & judicium ſuum, non tenetur dare, quando ſecundum judicium Eccleſiæ, tenetur.

Si vero Sacerdos per ſacramentalem dumtaxat confeſſionem occultum alicujus crimen agnoſceret, non poſſet Euchariſtiam denegare peccatori in occulto petenti. Tam ſtrictum enim eſt ſacramentalis ſigilli debitum, ut nulla ex cauſa Miniſtro liceat peccatum, quod per ſolam confeſſionem noverit, ipſi etiam qui illud confeſſus eſt, extra ſacrum aperire tribunal, niſi confeſſus id expreſſe conceſſerit; alioquin plurimum odioſa peccatorum confeſſio redderetur.

Hic opportune notandum occurrit, non poſſe Sacerdotem accedenti ad communionem pro corpore Domini dare hoſtiam minime conſecratam, quando novit occultam ejus improbitatem, nec fas eſt eum propter ceterorum ſcandalum amovere. Et ratio eſt, quia Sacerdos, quantum in ſe eſt, tali in caſu adſtantes in idololatriam induceret, dum, ut moris eſt Fidelium, hoſtiam adorarent. Deinde ut in rebus aliis, ita maxime in Sacramentis vitanda ſimulatio eſt. Unde Innocentius III. cap. *De homine*, *De celebratione Miſſarum*, ait: *Cum falſa ſint abjicienda remedia, quæ veris ſunt periculis graviora, licet is qui pro ſui criminis conſcientia reputat ſe indignum, peccet graviter, ſi ſe ingerat irreverenter ad illud: gravius tamen videtur offendere, qui ſic fraudulenter illud præſumpſerit ſimulare; cum ille in ſolius miſeri-*

ment, *habita copia confeſſoris*, *neceſſario præmittendam eſſe Confeſſionem ſacramentalem*. Quod ſi Sacerdos, cui ex neceſſitate celebrare incumbit, Confeſſario deſtitutus celebret urgente cauſa abſque prævia confeſſione, mandat eadem ſancta Synodus ejuſdem ſeſſionis cap. 7. *ut quamprimum confiteatur*. Hæc autem verba non importare dumtaxat conſilium, ſed præceptum, & quidem omni ſolicitudine adimplendum, conſtat ex propoſitione 38. ex damnatis ab Alexandro VII. *Mandatum Concilii Tridentini*, *factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate*, *confitendi quamprimum*, *eſt conſilium*, *non præceptum*: & ex proxima 39. *Illa particula* quamprimum *intelligitur*, *cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur*.

Qui præterea ad ſacram menſam accedit, curare præſertim debet, ut eam habeat præparationem, quam Catechiſmus Rom. in p. 2. c. 4. n. 57. *maxime neceſſariam* merito dicit, nempe, *ut unuſquiſque a ſeipſo quærat*, *num pacem cum aliis habeat*, *num proximos vere*, *atque ex animo diligat*: Si ergo, *ait Chriſtus Matth.* 5. *v.* 24. offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.

Cogitandum denique nobis eſt, inquit ibidem Catechiſmus, *quam indigni ſimus*, *quibus divinum hoc beneficium a Domino tribuatur*. *Quare illud Centurionis*, *de quo idem ipſe Salvator teſtatus eſt*, *ſe non inveniſſe tantam fidem in Iſrael*, *ex animo dicendum eſt*, Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum: Matth.

th. 8. v. 8. *Exquiramus etiam a nobis ipſis, an illud Petri uſurpare nobis liceat*, Domine, tu ſcis, quia amo te: *Joan.* 21. *v.* 15. *Meminiſſe enim oportet, eum qui ſine veſte nuptiali in convivio Domini accubuerat, in tenebroſum carcerem conjectum, ſempiternis pœnis addictum fuiſſe: Matth.* 22. *v.* 13.

II. ex parte corporis requiritur jejunium juxta Apoſtolicam traditionem, Eccleſiæque præceptum. Hujus traditionis plures teſtes habemus, Tertullianum in lib.2. ad uxorem c. 5. ſed præſertim ubi agens de Euchariſtia quam quiſque in ſuam domum deferebat, ita ſcribit: *Non ſciet maritus* (infidelis) *quid ſecreto ante omnem cibum guſtes.* Cyprianus etiam in epiſt. 63. ad Cæcilium ait: *Numquid ergo Dominicum poſt cœnam celebrare debemus?* Et Auguſtinus in epiſt. 54. alias 118. ad Januarium c.6. inquit: *Liquido apparet, quando primum acceperunt Diſcipuli corpus & ſanguinem Domini, non eos accepiſſe jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum eſt univerſæ Eccleſiæ, quod a jejunis ſemper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius Domini corpus intraret, quam ceteri cibi. Nam ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur.*

Hanc vero traditionem Chriſti exemplo minime repugnare S. Doctor ibidem oſtendit, adjiciens: *Namque Salvator quo vehementius commendaret myſterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ diſcipulorum, a quibus ad paſſionem digreſſurus erat. Et ideo non præcepit quo deinceps ordine ſumeretur, ut Apoſtolis per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum.*

ficium convenirent: nam Rufinus, ex quo Theodoretus hanc exſcripſit hiſtoriam, lib. 1. cap. 9. ait Frumentium negotiatoribus cum pietate educatis, qui eo navigarunt, perſuaſiſſe, *ut conventicula per loca ſingula facerent, ad quæ ritu Romano orationis cauſa confluerent*. Nec aliter ſcribunt Socrates, lib. 1. c. 19. & Sozomenus lib. 2. c. 24. Adde, quod, uti in citato loco refert Theodoretus, Frumentius ad ſtabiliendam apud Indos Catholicam religionem reverſus Alexandriam Sacerdotes a S. Athanaſio poſtulavit, atque hic ipſi Frumentio *ſacerdotalem gratiam* impertivit, immo, ut addunt Socrates & Sozomenus, etiam *Epiſcopatus honorem*.

Ad 2. Factam ad ruſticorum verba panis commutationem, non verborum virtuti, ſed omnipotentiæ Dei punientis ipſorum ruſticorum audaciam, tribuunt eo loci Honorius, & Albinus: qui etiam id narrant ex incerto vulgi rumore, appoſito verbo, *dicitur*, *fertur*.

Ad 3. Legitur in Vita SS. Petronillæ & Feliculæ, non ipſam Petronillam, ſed Nicomedem Presbyterum Chriſti myſteria celebraſſe. Vide Acta SS. ab Henſchenio edita tomo 7. Maji pag. 420.

Objicies 3. Sacerdos hoc Sacramentum conficit in perſona Chriſti: ſed quilibet juſtus, licet laicus, eſt Chriſti membrum, eidemque per charitatem unitur: ergo &c. Deinde Sacramentum iſtud conſecratur virtute verborum: at verborum ſignificatio non mutatur, ſive a Sacerdote, ſive a laico proferantur. Poſtremo dicendum videtur, ſaltem Diaconos habere jus conſecrandi: nam apud Ambroſium in lib. 1. de

Of-

Officiis c. 41. Laurentius ita Xiſtum ad martyrium proficiſcentem allocutus eſt: *Experire certe utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis conſecrationem.*

Reſp. ad 1. cum S. Thoma in p. 3. q. 82. a. 1. ad 2. *quod laicus juſtus unitus eſt Chriſto unione ſpirituali per fidem, & charitatem, non autem per ſacramentalem poteſtatem:* additque S. Bonaventura in loco ſuperius laudato, *quod non conſideratur in poteſtate conficiendi dignitas, ſed tantum auctoritas, quæ eſt in Sacerdotibus ratione characteris.*

Ad 2. jam patet reſponſio. Uti enim Doctor Angel. eodem in loco ad 1. ait: *Virtus conſecrativa non ſolum conſiſtit in ipſis verbis, ſed etiam in poteſtate Sacerdoti tradita in ſua conſecratione, & ordinatione cum ei dicitur ab Epiſcopo:* Accipe poteſtatem offerendi in Eccleſia ſacrificium, tam pro vivis, quam pro mortuis.

Ad 3. Antiquiſſima MSS. quæ ſuperant ætatem octingentorum annorum, non *conſecrationem* habent, ſed *diſpenſationem*, ſicut etiam in Breviario recitatur. Et licet Benedictini in Ambroſiana editione juxta complurium codicum fidem *conſecrationem* pro diſpenſatione poſuerint, idem tamen utroque vocabulo ſignificatur: nam Dominici ſanguinis communione ſanctificamur, & conſecramur; & etiamnum Sacerdos immittens in calicem particulam hoſtiæ, dicit: *Hæc commixtio, & conſecratio, &c.*

CAPUT XI.

De ejuſdem Sacramenti ſubjecto.

HActenus de Euchariſtiæ Miniſtro, nunc de ejuſdem ſubjecto dicendum eſt, ſive de iis, quibus vel danda, vel deneganda eſt Euchariſtiæ communio. Primo itaque quærimus, an Sacramentum iſtud ſit porrigendum infantibus?

Reſp. Si præſens ſpectetur Occidentalis Eccleſiæ diſciplina, quæ a duodecimo ſeculo obtinet, Euchariſtia infantibus danda non eſt: olim tamen factum id legimus; & etiamnum Græci, Syri, & Copti priorem retinent diſciplinam, ob quam redarguendos non eſſe recte ſentiunt plures graveſque Theologi.

Hac de re agens Synodus Tridentina in ſeſſ. 21. cap. 4. docet, *parvulos, uſu rationis carentes, nulla obligari neceſſitate ad ſacramentalem Euchariſtiæ communionem: ſiquidem per Baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt. Neque ideo tamen damnanda eſt Antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit. Ut enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controverſia credendum eſt.*

Cen-

Cenſent nonnulli, ex quibus Eſtius & Gotti, cauſam quæ Patres movit ad permittendam infantibus Euchariſtiam fuiſſe, ut efficacius ab idolorum ſacrificiis Fideles abſtraherent; in illis enim idolothyti pars ingeri in infantium etiam ora ſolebat, ut patet ex S. Cypriano in lib. de lapſis. Apud nos autem priſtina conſuetudo fuit abolita, non una ex cauſa. Primo nempe, quia puerudi, ut ait Catechiſmus Rom. in p. 2. c. 4. n. 62. , *neque ſacram Euchariſtiam a communi & profano pane ſciunt diſcernere, neque ad eam accipiendam pietatem animi, & religionem afferre poſſunt*: proindeque in re minime ad ſalutem neceſſaria, tanti Sacramenti reverentia præponderare debet augmento illi gratiæ, cujus defectu nullum ſpiritale detrimentum parvuli patiuntur. 2. quia nequeunt infantes ſpeciem panis digerere, ſpeciem vero vini facile vomendo rejicerent. 3. quia per recentiorem Eccleſiæ uſum aperte illorum refellitur error, qui aſſerunt pueros Baptiſmate regeneratos non poſſe abſque Euchariſtia ſalvari; qua de re infra tractabimus.

II. quæritur, an amentibus, ſurdis, mutis, & energumenis danda ſit Euchariſtia?

Reponimus, cum Catechiſmo Rom. laudato in loco n. 64. *Amentibus, qui tunc a pietatis ſenſu alieni ſunt; Sacramenta dare minime oportet: quamvis, ſi antequam in inſaniam inciderint, piam, & religioſam animi voluntatem præ ſe tulerint, licebit eis in fine vitæ, ex Concilii Carthaginenſis decreto Euchariſtiam adminiſtrare, modo vomitionis, vel alterius indignitatis, & incommodi periculum nullum timendum ſit.* Inſertus eſt Canon 76. Concilii IV. Carthaginen-

nenſis ſecundæ parti Decreti, XXVI. q. 6. cap. *Is, qui pœnitentiam*. Denique de amentibus, qui rationis uſum nunquam habuerunt, idem ac de infantibus juxta præſentem Eccleſiæ praxim judicium ferendum eſt.

Mutis etiam, ſurdiſque, ſi per nutus ac ſigna præ ſe ferunt conceptum de peccatis dolorem, piamque animi præparationem, denegandam non eſſe Euchariſtiam ſuadet ratio, omneſque conſentiunt. Ipſis quoque energumenis, niſi actu vexentur a dæmone, non eſt deneganda communio. Arauſicana enim Synodus I. anno 441. hunc edidit canonem num. 14. *Energumeni jam baptizati, ſi de purgatione ſua curant, & ſe ſollicitudini Clericorum tradunt, monitiſque obtemperant, omnimodis communicent, ſacramenti ipſius virtute vel muniendi ab incurſu dæmonii, quo infeſtantur, vel purgandi, quorum jam oſtenditur vita purgatior*. Hinc narrat S. Proſper in lib. de prædict. & promiſſ. Dei c. 6. puellam Arabam accepta Dominici corporis particula a dæmone liberatam. Lege S. Thomam in p. 3. q. 80. a. 9.

III. Quid dicendum putas de afficiendis extremo ſupplicio?

Ultimo ſupplicio plectendis denegata eſt aliquando Euchariſtia, in Gallia præſertim, & in Hiſpania. Nunc apud Hiſpanos contrarius obtinet uſus: Galli vero in priori conſuetudine perſeverant. Momenta quæ perſuadent concedendam Euchariſtiam extremo plectendis ſupplicio, juxta praxim fere ubique gentium ſervatam, plurima proferuntur; at illud præcipuum eſt quod petitur ex Statuto XI. Synodi Remenſis anno 630. ubi legitur: *Cur ad mortem condem-*

demnatis renuitur Euchariſtia , cum iis maxime conducat ad ſpem , & ſecuramen certi deceſſus , & præſentis agonis ? Unde bene ſcribit Dominicus Soto Hiſpanus in 4. d. 12. q. 1. a. 11. *Cum ſæpe per hoc ſacramentum fiat homo ex attrito contritus , & ſuſcipiat gratiam , quam non recepit in pœnitentia . Atque adeo uſu ſæpe venire poſſet , ut defectu Euchariſtiæ anima ejus periret , qui alioquin ſalvus fieret .* Hac de re bene pertractat P. Berti in lib. 33. c. 16.

Quod de afficiendis ſupplicio diximus , dicendum eſt pariter de omnibus , etſi ſceleſtiſſimis , qui morti proximi pœnitentiam agunt , nec ratione privantur . Aliquando utique lapſis communio denegata eſt in extrema quoque vitæ periodo ; at mutata eſt poſtmodum rigidior ejuſcemodi diſciplina . Quare Gregorius III. in epiſt. ad Bonifacium n. 7. ſcribit : *De his vero , qui patrem , matrem , fratrem , aut ſororem occiderint , dicimus , ut toto vitæ tempore corpus Dominicum non ſuſcipiant , niſi in ſuo exitu pro viatico .* Quod etiam plures Synodi ſtatuerunt , ac præſertim Nicæna generalis I. can. 18.

IV. quæritur , num Euchariſtia danda ſit mortuis ?

Reſp. dari non poſſe . Ut enim Trullana Synodus ait can. 83. *Nemo mortuorum corporibus Euchariſtiam communicet . Scriptum eſt enim :* Accipite , & comedite . *Mortuorum autem corpora non poſſunt accipere , nec comedere .* Idem quoque decretum eſt in Carthag. Concilio III, can. 6. & in Antiſiodorenſi can. 12.

Uſus olim invaluit collocandi ſacrum Domini corpus ſupra defunctorum pectora , præſertim Epiſcoporum , eoſque ita ſepeliendi . At in

in deſuetudinem mos ille abiit: ſatiſque defunctorum quieti ac pietati conſultum eſt cœmeteriorum benedictione, de qua legendum eſt Pontificale Rom. in p. 2. tit. 6.

V. petes, an peccatoribus dare liceat Euchariſtiam?

Reſp. peccatores quoſdam occultos eſſe, quorum nempe crimina ſunt ſecreta; quoſdam vero publicos, quorum ſcilicet crimina notoria ſunt, & in publicam devenere notitiam, aut per evidentiam facti, quæ nulla poteſt tergiverſatione celari, aut per judicium vel ſæculare, vel Eccleſiaſticum, in quo rei de peccato ſuo fuere convicti.

Si itaque peccator occultus Euchariſtiam publice petierit, eidem deneganda a Sacerdote non eſt ob multiplicem rationem, quam Seraph. Doctor adducit in 4. d. 9. a. 2. q. 4. inquiens: *Prima eſt, quia neſcit, utrum Deus occulte operetur. Secunda eſt, ne prodat crimen ejus. Tertia eſt, ne alios ſcandalizet. Quarta, quia ille jus habet in facie Eccleſiæ, & tunc tenetur illi jus ſuum petenti reddere*. Id etiam Chriſtus ſuo confirmavit exemplo, dum in ultima cœna corpus & ſanguinem ſuum Judæ proditori minime denegavit; uti ibidem aſſerit S. Bonaventura, cui conſonat S. Thomas tum alibi, tum in p. 3. q. 81. a. 2. quæ etiam ſententia placuit Auguſtino in Pſal. 10. Chryſoſtomo hom. 82. in Matth. aliiſque quampluribus.

Quod ſi peccator occultus Euchariſtiam privatim poſtulaverit, deneganda eſt illi; nullum enim ſcandalum, vel infamiæ periculum eo in caſu conſequitur. Præterea, ut citato in loco docet S. Bonaventura, *peccator indignus eſt, &*

in

in veritate non habet jus : habet tamen jus ſecundum judicium Eccleſiæ ; quia non conſtat de peccato, nec conſtare poteſt : & ideo quando Sacerdos operatur ſecundum veritatem, & judicium ſuum, non tenetur dare, quando ſecundum judicium Eccleſiæ, tenetur.

Si vero Sacerdos per ſacramentalem dumtaxat confeſſionem occultum alicujus crimen agnoſceret, non poſſet Euchariſtiam denegare peccatori in occulto petenti. Tam ſtrictum enim eſt ſacramentalis ſigilli debitum, ut nulla ex cauſa Miniſtro liceat peccatum, quod per ſolam confeſſionem noverit, ipſi etiam qui illud confeſſus eſt, extra ſacrum aperire tribunal, niſi confeſſus id expreſſe conceſſerit ; alioquin plurimum odioſa peccatorum confeſſio redderetur.

Hic opportune notandum occurrit, non poſſe Sacerdotem accedenti ad communionem pro corpore Domini dare hoſtiam minime conſecratam, quando novit occultam ejus improbitatem, nec fas eſt eum propter ceterorum ſcandalum amovere. Et ratio eſt, quia Sacerdos, quantum in ſe eſt, tali in caſu adſtantes in idololatriam induceret, dum, ut moris eſt Fidelium, hoſtiam adorarent. Deinde ut in rebus aliis, ita maxime in Sacramentis vitanda ſimulatio eſt. Unde Innocentius III. cap. *De homine*, *De celebratione Miſſarum*, ait : *Cum falſa ſint abjicienda remedia, quæ veris ſunt periculis graviora, licet is qui pro ſui criminis conſcientia reputat ſe indignum, peccet graviter, ſi ſe ingerat irreverenter ad illud : gravius tamen videtur offendere, qui ſic fraudulenter illud præſumpſerit ſimulare ; cum ille in ſolius miſeri-*

ricordis Dei manum incidat, iſte vero non ſolum Deo, cui non veretur illudere, ſed populo quem decipit, ſe adſtringat.

Patet poſtremo, quod publicis peccatoribus ſit deneganda communio, quia illi jus ad menſam Domini non habent, ne in facie quidem Eccleſiæ, cum notorio crimine ſint polluti; ideoque ſi Sacerdos illos ejuſdem menſæ participes faceret, injuſtæ diſpenſationis reus evaderet. Hinc Matth. 7. v. 6. ait Chriſtus: *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Atque ita ſemper in Eccleſia fuiſſe ſervatum, evidenter apparet ex Patribus, præſertim ex Cypriano in epiſt. 61. alias 2. ad Eucratium, Chryſoſtomo hom. 83. in Matth. & Auguſtino hom. poſtrema inter 50. nunc ſerm. 351.



CA-

CAPUT XII.

De diſpoſitionibus ad ſacramentalem Communionem requiſitis, ac de ejuſdem effectibus.

VEriſſime piiſſimeque notavit Synodus Tridentina in ſeſſ. 13. cap. 7. quod *ſi non decet ad ſacras ullas functiones quempiam accedere, niſi ſancte: certe quo magis ſanctitas, & divinitas cœleſtis hujus ſacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eo diligentius cavere ille debet, ne abſque magna reverentia, & ſanctitate ad id percipiendum accedat, præſertim cum illa plena formidinis verba apud Apoſtolum legamus: Qui manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Hic itaque dicendum eſt breviter de animi corporiſque præparatione requiſita, ut digne quis ad ſacramentalem Communionem accedat.

Primo igitur ex parte animæ neceſſaria eſt gratia ſanctificans, & animus taliter affectus, ut nullius ſibi lethalis culpæ ſit conſcius, uti laudata Apoſtoli verba demonſtrant. Hinc qui conſcientia mortalis peccati gravantur, antequam Euchariſtiam percipiant, confiteri tenentur, juxta decretum Tridentini Concilii, quod in can. 11. citatæ ſeſſionis *ſtatuit, atque declarat, illis quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment,*

ment, habita copia confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe Confeſſionem ſacramentalem. Quod ſi Sacerdos, cui ex neceſſitate celebrare incumbit, Confeſſario deſtitutus celebret urgente cauſa abſque prævia confeſſione, mandat eadem ſancta Synodus ejuſdem ſeſſionis cap. 7. *ut quamprimum confiteatur*. Hæc autem verba non importare dumtaxat conſilium, ſed præceptum, & quidem omni ſolicitudine adimplendum, conſtat ex propoſitione 38. ex damnatis ab Alexandro VII. *Mandatum Concilii Tridentini, factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate, confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum*: & ex proxima 39. *Illa particula* quamprimum *intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur*.

Qui præterea ad ſacram menſam accedit, curare præſertim debet, ut eam habeat præparationem, quam Catechiſmus Rom. in p. 2. c. 4. n. 57. *maxime neceſſariam* merito dicit, nempe, *ut unuſquiſque a ſeipſo quærat, num pacem cum aliis habeat, num proximos vere, atque ex animo diligat*: Si ergo, *ait Chriſtus Matth.* 5. *v.* 24. offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.

Cogitandum denique nobis eſt, inquit ibidem Catechiſmus, *quam indigni ſimus, quibus divinum hoc beneficium a Domino tribuatur. Quare illud Centurionis, de quo idem ipſe Salvator teſtatus eſt, ſe non inveniſſe tantam fidem in Iſrael, ex animo dicendum eſt*, Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum: Matth.

th. 8. v. 8. *Exquiramus etiam a nobis ipſis, an illud Petri uſurpare nobis liceat*, Domine, tu ſcis, quia amo te: *Joan.* 21. *v.* 15. *Meminiſſe enim oportet, eum qui ſine veſte nuptiali in convivio Domini accubuerat, in tenebroſum carcerem conjectum, ſempiternis pœnis addictum fuiſſe: Matth.* 22. *v.* 13.

II. ex parte corporis requiritur jejunium juxta Apoſtolicam traditionem, Eccleſiæque præceptum. Hujus traditionis plures teſtes habemus, Tertullianum in lib. 2. ad uxorem c. 5. ſed præſertim ubi agens de Euchariſtia quam quiſque in ſuam domum deferebat, ita ſcribit: *Non ſciet maritus* (infidelis) *quid ſecreto ante omnem cibum guſtes.* Cyprianus etiam in epiſt. 63. ad Cæcilium ait: *Numquid ergo Dominicum poſt cœnam celebrare debemus?* Et Auguſtinus in epiſt. 54. alias 118. ad Januarium c. 6. inquit: *Liquido apparet, quando primum acceperunt Diſcipuli corpus & ſanguinem Domini, non eos accepiſſe jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum eſt univerſæ Eccleſiæ, quod a jejunis ſemper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius Domini corpus intraret, quam ceteri cibi. Nam ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur.*

Hanc vero traditionem Chriſti exemplo minime repugnare S. Doctor ibidem oſtendit, adjiciens: *Namque Salvator quo vehementius commendaret myſterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ diſcipulorum, a quibus ad paſſionem digreſſurus erat. Et ideo non præcepit quo deinceps ordine ſumeretur, ut Apoſtolis per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum.*

Jejunium autem requiſitum ad Euchariſtiæ ſumptionem eſt illud, quod *naturale* vocatur, quodque ex S. Thoma in p. 3. q. 80. a. 8. ad 4. „ importat privationem cujuſcumque præaſſumpti per modum cibi, vel potus: . . . & ideo „ neque poſt aſſumptionem aquæ, vel alterius „ cibi aut potus, vel etiam medicinæ in quantumcunque parva quantitate, licet hoc Sacramentum accipere: nec refert utrum aliquid hujuſmodi nutriat, vel non nutriat, aut „ per ſe, aut cum aliis, dummodo ſumatur „ per modum cibi, vel potus: reliquiæ tamen „ cibi remanentes in ore, ſi caſualiter transglutiantur, non impediunt ſumptionem hujus „ Sacramenti, quia non trajiciuntur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ: & eadem „ ratio eſt de reliquiis aquæ, vel vini, quibus „ os abluitur, dummodo non trajiciantur in „ magna quantitate, ſed permixtæ ſalivæ, quod „ vitari non poteſt.

Ab hac autem jejunii lege excipiuntur 1. infirmi in mortis periculo conſtituti; 2. parvuli, ubi apud Orientales illico poſt Baptiſmum communione donantur; 3. Sacerdotes, qui inter ſacrificandum peracta conſecratione recordentur ſe non eſſe jejunos; 4. iidem Sacerdotes, qui poſt hoſtiæ ſumptionem advertant ſe calici non appoſuiſſe vinum: 5. ſi Sacerdos celebrans poſt conſecrationem ſubita vi morbi correptus ſacrificium perficere nequeat; alter Sacerdos, etiam non jejunus, illud perficere, ac conſummare tenetur. At de his, aliiſque caſibus plura reperies apud prolixiores Auctores, eos præcipue quibus moralem Theologiam enucleare provincia eſt.

III.

III. Carnis quoque mundities ſacræ communioni præmittenda eſt. Si enim in veteri Teſtamento non niſi mundi a mulieribus panes propoſitionis comedere poterant, ut habetur in 1. Regum c. 21. v. 4. quanto nunc magis mundos oportet eſſe eos, qui Panem de cœlo verum manducare deſiderant? Id etiam ejuſdem Panis conditio perſuadet, puriſſimi ſcilicet intemeratæ Virginis Filii, cui pro templo & habitaculo corpus ſuum exhibere debet quicunque ad ſacram Synaxim accedit.

Ut autem uberiorem clarioremque hujuſce præparationis notitiam habeant Candidati, notamus cum Doctore Seraph. in 4.d.12.p. 2.a.2. q.3. „quod immunditia corporalis quadruplex eſt. „ Quædam eſt conjuncta ſpirituali ſecundum veritatem; ut pollutio veniens ex turpi cogitatione, vel crapula. Quædam conjuncta ſpirituali ſecundum conformitatem; ut pollutio veniens ex diabolica illuſione, vel ex naturæ ſuperfluitate, in qua ſentitur pruritus, & delectatio inordinata. Quædam vero eſt, quæ non eſt conjuncta ſpirituali, tamen eſt generans horrorem immunditiæ in anima; ut pollutio veniens ex infirmitate. Quædam autem eſt pure corporalis nullum horrorem immunditiæ in anima generans; ut immunditia in pede.

„ Prima immunditia impedit propter hoc, quod homo debet reputare ſe immundum. Unde non recipit Sacramentum cum reverentia, qui ſic immundus eſt, niſi neceſſitas compellat; & propter irreverentiam privatur fructu, & incurrit damnum.

„ Secunda immunditia, quæ eſt in illuſione diabolica, arcere debet ex congruo; quoniam quamvis non ſit certum, quod ſit anima ibi

„ maculata, tamen probabiliter poteſt dubitari:
„ & ideo qui ſe reputat immundum, bene facit. Unde Iſidorus in 1. p. Decreti diſt. 6. c. 3. *Quiſquis nocturna illuſione polluitur, quamvis extra memoriam turpium cogitationum ſeſe præſentiat inquinatum; tamen hoc ut tentaretur, culpæ ſuæ attribuat, ſuamque immunditiam ſtatim fletibus tergat*.

„ Tertia immunditia eſt indifferens, quia tantum eſt pœna; & ideo non arcet. Si tamen ratione horroris abſtineat, devotio, & reverentia eſt laudanda: unde nec mulier menſtruata arcetur, nec etiam mulier poſt partum, ſicut dicunt jura. De primo reperies in Decr. diſt. 6. De ſecundo Extra lib. 3. de purificatione poſt partum.

„ Quarta ſimpliciter eſt indifferens inter omnes has immunditias. Prima magis impedit, ultima nullo modo: omnes tamen impediunt de congruo ſecundum gradus. Unde ſi quis quærat, utrum ſemper quando polluitur corporaliter, ceſſare debeat? dicendum eſt, quod ſi ſentit inquinationem illam multum animam inclinaſſe, quia in actu illo fit homo caro, ſive in ſomnis, ſive in vigiliis, conſulendum eſſet ei facere reverentiam Sacramento. Si autem ſentit naturam magis expeditam, & ulterius devotio trahat ad perceptionem, & ſolemnitas trahat, vel aliquid quod multum recompenſet, tunc arbitrarer ipſum ſine remorſu poſſe accedere.

„ Concedendum ergo, quod ſolum propter carnis immunditiam non impeditur; ſed quia hæc immunditia conjuncta eſt immunditiæ mentis; nec ſolum propter immunditiam men-

„ tis,

„ tis, quia cogitatio cito tranſit, ſed immun-
„ ditia carnis horrorem relinquit, & diutius
„ durat, & inordinat: & ideo quamvis pollu-
„ tio ſit peccatum veniale, magis tamen im-
„ pedit, quam aliud veniale, propter horroris
„ diuturnitatem, & majorem deordinationem.

Circa vero copulam conjugalem ſpeciatim obſervat ibidem S. Doctor, „ quod raro con-
„ tingit, quod homo conjungatur ſecundum il-
„ lum actum debitum exigendo, quin ſit ibi
„ aliqua culpa: ſi autem ſolum reddendo debi-
„ tum, non credo quod debeat retrahi niſi de
„ congruo, vel etiam cauſa prolis. " Legendus eſt etiam S. Thomas in 3. p. q. 80. a. 7. inter recentiores vero Theologos conſule P. Berti in lib. 33. c. 17. §. 2.

IV. denique exterior etiam corporis cultus, & habitus talis in communicantibus eſſe debet, ut modeſtiam pietatemque redoleat. Hac de re plura in Inſtructionibus ſuis monita tradit S. Carolus Borromæus, ut legere poteris in p. 2. Act. Eccleſ. Mediolan. At nos interim brevitati ſtudentes, de tanti Sacramenti effectibus diſſeremus.

Et primo quidem divinum hoc Sacramentum gratiam confert, 2. venialia peccata dimittit, 3. a futuris peccatis præſervat, 4. virtutes omnes ac præcipue charitatem adauget. Unde S. Bonaventura in 4. d. 12. p. 2. a. 1. q. 3. ait:
„ Cum hoc Sacramentum ſit unionis, effectus
„ ejus primus eſt unire, aut magis unire;
„ ſed non de novo unire, ſed jam unitos ma-
„ gis unire. Magis autem unire eſt tripliciter.
„ Aut quia quis unitur majori vinculo; ut ille
„ magis unitur, qui majorem habet charitatem.

„ Aut quia eodem vinculo unitur ſtrictius ;
„ ut ille qui ſecundum eundem habitum fer-
„ ventius amat. Aut quia eodem firmius ; ut
„ ille qui in eodem habitu eſt magis radicatus.
„ Dicitur ergo hoc Sacramentum magis unire,
„ quia digne accedentem reddit ferventiorem,
„ ut carbo ignitus ; & iterum reddit fortiorem,
„ ut bonus cibus. Et ex hoc quod reddit cha-
„ ritatem magis ignitam, adjuvat ad conſu-
„ mendam peccati venialis rubiginem. Et ex
„ hoc quod magis firmat, adjuvat ad vitandum
„ omnia ſcelera ; & ratione utriuſque valet ad
„ augmentum virtutum, & maxime charitatis,
„ quæ eſt vinculum ; non quantum ad eſſen-
„ tiam, ſed quantum ad fervorem, vel radi-
„ cationem. Fervor enim minuitur quotidie
„ per venialia, & radicatio ; ideo oportet per
„ hunc cibum reſtaurari deperditum.

Notanda hic etiam ſunt quæ habet Synodus Florentina in decreto unionis inquiens: *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum. Et quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris ejus unitur, conſequens eſt, quod per hoc Sacramentum in ſumentibus digne gratia augeatur ; omnemque effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operetur ſpiritualem : in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris noſtri recenſemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum, & gratiarum proficimus incrementum.*

Tridentina quoque Synodus id ipſum docet, dum in ſeſſ. 13. cap. 2. ait : *Sumi autem voluit,*

luit, Chriſtus, *Sacramentum hoc*, *tanquam ſpiritualem animarum cibum*, *quo alantur*, *& confortentur viventes vita illius*, *qui dixit*, Joan. 6. Qui manducat me, & ipſe vivet propter me; *& tanquam antidotum*, *quo liberemur a culpis quotidianis*, *& a peccatis mortalibus præſervemur*. *Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ*, *& perpetuæ felicitatis*; *adeoque ſymbolum unius illius corporis*, *cujus ipſe Caput exiſtit*, *cuique nos*, *tanquam membra*, *arctiſſima fidei*, *ſpei*, *& charitatis connexione adſtrictos eſſe voluit*, *ut idipſum omnes diceremus*, *nec eſſent in nobis ſchiſmata*.

Ex dictis apparet, Euchariſtiam *per ſe* ſecundam gratiam conferre, non primam; quamvis & hæc *per accidens* ab eodem Sacramento poſſit aliquando conferri. *Non limitamus*, præclare inquit S. Bonaventura in loco ſupra citato q. 2. *non limitamus largitatem Dei*, *quin in hoc Sacramento poſſit*, *& aliquando faciat remiſſionem omnis culpæ*. *Sed ſecundum forum commune*, *& generalem rationem inſtitutionis Sacramenti*; *dicendum*, *quod iſtud Sacramentum datum eſt in cibum illis*, *qui ſunt de corpore Chriſti*, *& omnes tales habent charitatem*: *ideo effectum habet in ſolis juſtis*. Hic recolenda monemus quæ ex Angelici etiam Doctoris ſententia contra Vaſquez adduximus in lib. 24. c. 16. Vide etiam eximium Theologum noſtrum Richardum de Mediavilla in 4. d. 9. a. 1. q. 2.

CAPUT XIII.

De ſacræ Communionis neceſſitate, uſuque frequenti.

RÉcentiores quidam Græci Eúchariſtiam adultis, parvuliſque omnibus neceſſariam *neceſſitate medii* arbitrantur, adeo ut ſine illa nemo ſalutem conſequi poſſit æternam. His Novatores adhærent, Albertinus præſertim, & Dallæus, ajentes, veterum Patrum, ac præcipue Auguſtini, eam fuiſſe ſententiam, qui idcirco plurium ſeculorum tractu ſimul cum Baptiſmo Eúchariſtiam infantibus tribuerunt. Orthodoxi vero Theologi omnes affirmant, Eúchariſtiam actu perceptam neceſſariam non eſſe *neceſſitate medii* ad ſalutem; licet nonnulli neceſſariam illam in voto, ſaltem implicito, opinentur.

Propoſitio 1. Non eſt neceſſarium *neceſſitate medii*, quod omnes prorſus, ſive adulti, ſive parvuli, Eúchariſtiam reipſa percipiant. Eſt fidei dogma.

Probatur 1. Eccleſia perpetuo credidit, docuitque, infantes ſtatim poſt ſuſceptum Baptiſma morientes æterna felicitate potiri: ſemper enim perſuaſum ei fuit, per Baptiſma deleri originale peccatum, conferri ſanctificantem gratiam, & jus ad cœleſtem hæreditatem acquiri. Id etiam Scripturæ nos edocent; nam Chriſtus Joan. 3. v. 5. ait: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua,*

aqua, *& Spiritu Sancto*, *non poteſt introire in regnum Dei.* Item Apoſtolus ad Gal. 3. v. 27. ſcribit: *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis*, *Chriſtum induiſtis*. Et ad Epheſ. 3. v. 26. aſſerit Chriſtum nos *mundaſſe lavacro aquæ in verbo vitæ*, & ad Titum 3. v. 5. *ſalvos nos feciſſe per lavacrum regenerationis*, *& renovationis Spiritus Sancti*. Si ergo infantes prius ex hac vita migraverint, quam ratione, ac libertate utentes gratiam in Baptiſmo acceptam amiſerint, gloriam conſequentur: ergo non eſt neceſſarium, &c.

Hujus præterea dogmatis invicta probatio ex eo deducitur, quod nunquam aut laici, aut mulieres Euchariſtiam ceteris diſpenſaverint, cum tamen urgente neceſſitate Baptiſma contulerint; & quod parvulorum communione in deſuetudinem abeunte, nullus Patrum ſcripſerit denegari illis neceſſarium ſalutis remedium; quod poſtremo conſueverit aliquando Eccleſia negare lapſis, etiam in mortis exitu, ſacramentalem communionem; quo facto monſtravit hanc non ita neceſſarium eſſe viaticum, uti reconciliatio & abſolutio eſt, prout præſtantiſſimi notavere Theologi.

Merito itaque Tridentina Synodus ſeſſ. 21. can. 4. decrevit: *Si quis dixerit*, *parvulis*, *antequam ad annos diſcretionis pervenerint*, *neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem*, *anathema ſit*. Legite ejuſdem ſeſſ. caput 4.

Propoſitio 2. Idem SS. Sacramentum neque in voto eſt abſolute neceſſarium, ſi votum ſtricte proprieque ſumatur.

Id enim ne in voto quidem eſt medium ad ſalutem abſolute neceſſarium, quod ordinatum non

non eſt ad conferendum effectum abſolute neceſſarium ad ſalutem: atqui ejuſcemodi eſt Eucharistia. *Effectus hujus Sacramenti*, inquit S. Bonaventura in 4. d. 12. p. 2. a. 2. q. 1. *eſt deletio venialium, & augmentum virtutum; ſed neutrum eſt de neceſſitate ſalutis*: idque patet etiam ex dictis in ſuperiori capite.

Deinde, ſi uti adverſæ ſententiæ aſſertores exiſtimant, Eccleſia pro infantibus, dum baptizantur, haberet Euchariſtiæ votum, quod illa ad ſalutem neceſſarium eſſe putaret; profecto votum illud, ubi primum opportuna ſeſe præberet occaſio, adimpleret, neque diſcretionis expectaret annos, ut Euchariſtiæ participes infantes efficeret; aut mortis ſaltem urgente periculo, illud tam neceſſarium viaticum filiis ſuis Mater piiſſima largiretur; quod tamen a præſentis Eccleſiæ diſciplina ac moribus alienum eſt.

Diximus ſupra, *ſi votum ſtricte proprieque ſumatur*. Nam ſi improprie lateque votum accipias, quatenus eſt generalis voluntas implendi quidquid fuit a Chriſto præſcriptum; haud dubie votum illud neceſſarium eſt adultis, & ſemper in charitate perfecta implicite continetur. At tale votum non Euchariſtiam dumtaxat reſpicit, ſed generatim tendit ad aliud quodcunque a Chriſto præceptum eſt.

Propoſitio 3. Neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici, & Divini, ſacramentalis communio neceſſaria eſt adultis.

Probatur 1. pars. Chriſtus Euchariſtiam inſtituens ait Apoſtolis, *Hoc facite, &c.* ideſt, *Conſecrate, comedite, diſtribuite, ſicut ego nunc feci*: ideoque divinum præceptum eſt, ut Sacer-

cerdotes ſacramentalem communionem percipiant, eandemque laicis diſtribuant. Nam in laudatis Chriſti verbis non ſolam Euchariſtiæ conſecrationem oblationemque fuiſſe præceptam Apoſtolis & eorum Succeſſoribus, verum etiam omnibus Fidelibus uſum ejus ſive ſumptionem, evidenter apparet ex 1. ad Cor. c. 11. ℣. 26. ubi Paulus eam Chriſti ſententiam referens & exponens ait: *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.*

Præterea Dominus inquit, *Niſi manducaveritis, &c.* quæ verba non ſolum de myſtica communione unicuique neceſſaria explicantur a Patribus, ſed de reali etiam communione, præſcripta iis, quibus neceſſarium eſt ſpirituale alimentum, ut in Chriſto permaneant. Ipſe enim ait Joan. 6. v. 56. *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Probatur 2. pars ex cap. 21. Lateranenſis Concilii IV. in quo ita ſtatuitur: *Omnis utriuſque ſexus Fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum: niſi forte de conſilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura.* Idem quoque decretum eſt a Tridentino ſeſſ. 13. can. 9. *Si quis negaverit omnes & ſingulos Chriſti fi-*

fideles, utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum, juxta præceptum ſanctæ matris Eccleſiæ, anathema ſit. De hoc percipiendæ Euchariſtiæ præcepto fuſe diſferunt moralis Theologiæ Tractatores.

Objicies 1. contra 1. propoſ. Sicuti de Baptiſmo Joan. 3. v. 5. legitur, *Niſi quis renatus fuerit, &c.* ita & de Euchariſtia dicitur Joan. 6. v. 54. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, &c.* Atqui priora verba demonſtrant omnimodam Baptiſmi neceſſitatem: ergo eandem quoque neceſſitatem Euchariſtiæ poſteriora verba ſignificiant. Hinc Auguſtinus in lib. 1. de peccat. mer. & remiſ. c. 20. & alibi contra Pelagianos duo illa Chriſti teſtimonia adducit, oſtendens, quod ſicuti propter defectum Baptiſmi infantes morientes excluduntur a regno cœlorum, ita pariter a vita æterna ſint excludendi propter Euchariſtiæ defectum: idque etiam affirmare videntur Innocentius I. in epiſt. ad Milevitani Concilii Patres, inter Auguſtinianas 182. olim 93. & Gelaſius in epiſt. ad Epiſcopos per Picenum.

Reſp. ex dictis in lib. 25. c. 12. repetendum eſſe neceſſitatis illorum Sacramentorum diſcrimen ex Chriſti voluntate, quæ per Scripturam, ac Traditionem nobis innotuit; unde & diverſum in adductis textibus ſenſum latere didicimus. Ipſa quoque Sacramenti natura diſparitatem aperte declarat. Inſtituta eſt enim Euchariſtia ut ſpiritualis animæ cibus: ergo quemadmodum cibus corporalis non eſt neceſſarius ad inchoandam, ſed tantum ad conſervandam corporis vitam, imo vitam illam neceſſario præſup-

ſupponit; ita Euchariſtia ſimiliter non primum ſpiritualem animæ vitam tribuit (id enim Baptiſma & Pœnitentia præſtant), ſed *per ſe* illam tantummodo conſervat, & auget: non ergo neceſſaria eſt neceſſitate medii pro adultis: Sed neque pro parvulis, cum hi cibo non egeant, neque ſciant ſacram Euchariſtiam a communi & profano pane diſcernere; ut loquitur Catechiſmus Rom. in p. 2. c. 4. n. 62. Ergo, &c.

Auguſtinus autem objecto in loco, & alibi, non agit *de reali* corporis Chriſti manducatione, quæ fit ſumendo Euchariſtiam, ſed *de myſtica*, quæ fit adoptatione in myſticum Chriſti corpus, ſcilicet in ſanctam Eccleſiam; quod contingit in ipſa ſuſceptione Baptiſmatis: urgetque S. Doctor teſtimonium illud, *Niſi manducaveritis*, &c. contra Pelagianos promittentes æternam vitam parvulis ſine Baptiſmo denatis. Hanc Auguſtini fuiſſe mentem non obſcure colligitur ex libro 3. citati operis c. 4. ubi n. 8. ait: *Numquid & illud ambiguum eſt, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei?... Numquid & illud, Quia niſi manducaverint homines carnem ejus, non habebunt vitam? His, atque hujuſmodi aliis, quæ nunc prætereo teſtimoniis,... nonne veritas ſine ulla ambiguitate proclamat, non ſolum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non poſſe, ſed nec vitam poſſe habere præter Chriſti corpus, cui ut incorporentur, ſacramento baptiſmatis imbuuntur?*

Alibi etiam S. Doctor *manducationem corporis Chriſti* appellat unitatem Eccleſiæ, fidem charitate formatam, & manſionem in Chriſto. Tractatu enim 26. in Joan. n. 15. ait: *Hunc ita-*

itaque cibum & potum ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt ſancta Eccleſia; pauciſque interjectis adjungit: *Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere*.

Tandem Fulgentius, cui Auguſtini mens latere non potuit, a Ferrando Diacono rogatus quid judicandum de ſalute juvenis cujuſdam Æthiopis, qui morte inſtante baptizatus prius exceſſerat, quam Euchariſtiam percepiſſet, multis Scripturæ locis, & Auguſtini auctoritate ex Sermone ejus *ad infantes* oſtendit, juvenem illum per Baptiſma ſalutem adeptum, factumque fuiſſe Euchariſtiæ participem. *Arbitror*, inquit in epiſt. ad citatum Ferrandum cap. 11. *diſputationem noſtram præclari Doctoris Auguſtini ſermone firmatam; nec quidquam eſſe aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis, ſanguiniſque Dominici participem fieri, quando in baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur, nec alienari ab illo panis, calicisve conſortio; etiamſi antequam panem illum comedat & calicem bibat, de hoc ſeculo in unitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat*. Eodem in ſenſu locuti ſunt etiam Romani Pontifices Innocentius, & Gelaſius, uti ex perpenſis eorum verbis apparet. Lege Fraſſen, Berti, alioſque.

Objicies 2. Sicuti Baptiſmus eſt Sacramentum Dominicæ paſſionis, ſine qua ſalus eſſe non poteſt; ita & Euchariſtia, dicente Apoſtolo in 1. ad Cor. c. 11. v. 26. *Quotieſcumque enim manducabitis, &c. mortem Domini annunciabitis, donec veniat*. Ergo utrumque Sacramentum eſt de neceſſitate ſalutis.

Et

Et profecto, Euchariſtia eſt ſpirituale alimentum: ergo quemadmodum alimentum corporale corporali ſaluti, ita & Euchariſtia ſaluti ſpirituali neceſſario confert..

Reſp. cum S. Thoma in p. 3. q. 73. a. 3. ad 3. *quod baptiſmus eſt ſacramentum mortis & paſſionis Chriſti, prout homo regeneratur in Chriſto virtute paſſionis ejus; ſed Euchariſtia eſt ſacramentum paſſionis Chriſti, prout homo perficitur in unione ad Chriſtum paſſum: unde ſicut baptiſmus dicitur ſacramentum fidei, quæ eſt fundamentum ſpiritualis vitæ; ita Euchariſtia dicitur ſacramentum charitatis*, quæ eſt vinculum perfectionis, *ut dicitur Coloſ. 3.*

Ad alterum reſpondet ibidem S. Doctor ad 2. *quod hæc eſt differentia inter alimentum corporale & ſpirituale, quod alimentum corporale convertitur in ſubſtantiam ejus qui nutritur; & ideo non poteſt homini valere ad vitæ conſervationem alimentum corporale, niſi realiter ſumatur; ſed alimentum ſpirituale convertit hominem in ſeipſum, ſecundum illud quod Auguſtinus dicit in lib. 7. Confeſſ. c. 10. quod quaſi audivit vocem Chriſti dicentis ſibi*, Nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me. *Poteſt autem aliquis in Chriſtum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiam ſine hujus ſacramenti perceptione: & ideo non eſt ſimile*. Hucuſque Doctor Angelicus, qui ibidem alia ſcribit, quibus ſuperius dicta clarius illuſtrantur. Legendus eſt etiam S. Bonaventura in loco, quem in 2. prop. citavimus.

Sed videamus modo, utrum & quam frequenter expediat ad Euchariſtiam accedere. Hac in re ut perſpicue procedamus, dicimus

1. hu-

I. hujus Sacramenti ſumptionem ſecundum ſe inſpectam, ideſt quantum eſt ex parte ipſius Sacramenti, valde utiliter frequentari. Eſt enim hujus Sacramenti virtus hominibus admodum ſalutaris, idemque inſtitutum eſt uti panis quotidianus & quotidiana medicina; proindeque expedit convenitque, ut frequenter, imo quotidie ſumatur. Quare S. Ambroſius lib. 4. de Sacram. c. 6. dicit: *Si quotieſcunque effunditur ſanguis, in remiſſionem peccatorum effunditur, debeo illum ſemper accipere, ut ſemper mihi peccata dimittantur. Qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam.* Et lib. 5. c. 4. *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illud ſumis, quemadmodum Græci in Oriente facere conſueverunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit.*

II. Propter diverſas ſumentium diſpoſitiones expedit vel rarius, vel frequentius Euchariſtiam accipere. Requiritur enim ex parte ſumentis, ut cum magna devotione, honore, & reverentia ad Sacramentum iſtud accedat: qui ergo quotidie ſic ſe paratos inveniunt, ſi quotidie accedant, laudabiliter recteque ſe gerunt. Quapropter Ambroſius lib. 5. de Sacram. c. 4. poſt adducta ſuperius verba ſubjungit: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere.* Quia vero multis hominibus multa impedimenta debitæ devotionis occurrunt; idcirco non expedit illis quotidie ad hoc Sacramentum accedere. *Si ergo quæritur*, inquit S. Bonaventura in 4. d. 12. p. 2. a. 2. q. 2. *utrum expediat frequentare alicui; Dicendum, quod ſi videat ſe eſſe in ſtatu Eccleſiæ primitivæ*; (quum ſcilicet Fideles, ex eodem S. Doctore, *erant mundi per baptiſmi innocentiam, & charitate ardentes per donationem Spi-*

Spiritus Sancti) *laudandum eſt, quotidie communicare. Si autem in ſtatu Eccleſiæ finalis, utpote frigidum, & tardum, laudandum eſt quod raro. Si autem medio modo, medio modo debet ſe habere, & aliquando debet ceſſare, ut addiſcat revereri; aliquando accedere, ut inflammetur amore; quia tali hoſpiti debetur honor, debetur & amor; & tunc ſecundum illam partem, ſecundum quam videtur ſe melius proficere, ad illam magis declinet, quod homo ſolum experientia diſcit.*

Diverſam hanc hominum diſpoſitionem ſpectaſſe videtur Gennadius in lib. de Eccleſ. Dogmat. c. 53. qui falſo adſcribitur Auguſtino, dum ait: *Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere nec laudo, nec vitupero*. Quæ verba leguntur cap. *Quotidie*, de Conſecr. diſt. 2. num. 13.

111. Cum ex dictis huic Sacramento debeatur honor, debeatur & amor; conſequens profecto eſt, quod ſicuti poteſt homo ad illud laudabiliter accedere, ita poteſt & laudabiliter abſtinere. Utrumque enim eſt opus virtutis; alterum quidem amoris & devotionis, alterum vero humilitatis & reverentiæ. Alterum inſuper probatur exemplo Zachæi, qui gaudens Chriſtum in domum ſuam excepit, Lucæ 19. cui adjungi poteſt exemplum peccatricis, aliarumque mulierum, quæ Chriſti pedes devota quadam familiaritate tetigiſſe leguntur, Lucæ 7. & Matth. 28. Alterum vero illuſtratur exemplo Petri ajentis, Lucæ 5. v. 8. *Exi a me, quia homo peccator ſum, Domine*: ſicut & Centurio Matth. 8. v. 8. dicebat: *Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum*.

Agit hac de re S. Auguſtinus in epiſt. 54.

olim 118. ad Jan. c. 3. atque inter alia ſcribit: *Valet etiam ad hanc ſimilitudinem quod in primo populo unicuique manna ſecundum propriam voluntatem in ore ſapiebat, ſic in ore cujuſque Chriſtiani ſacramentum illud, quomodo ſumatur æſtimandum. Nam & ille honorando non audet quotidie ſumere, & ille honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum ſolum non vult cibus ille, ſicut manna faſtidium.*

IV. Licet utrumque laudabile ſit, & ſecundum diverſas hominum affectiones alterum altero melius; ſimpliciter tamen laudabilius eſt & utilius accedere quam abſtinere, modo illud ex reverentia & devotione procedat. Nam affectus amoris quo homo ad ſumendum hoc Sacramentum adducitur, eſt ſimpliciter melior, Chriſtianoque ſtatui congruentior, quam timoris affectus, quo ab eodem ſumendo retrahitur. Deinde & ex ipſa ſumptione Sacramenti gratiam conferentis peculiaris fructus elicitur. Hinc Viri pietate doctrinaque conſpicui ſuadere ſolent pro vario cujuſque ſtatu meritoque ter quaterve in eadem hebdomada, aut ſingulis Dominicis diebus, aut quintodecimo quolibet die, aut ſemel ſaltem in menſe, atque in majoribus Eccleſiæ feſtis, Euchariſtiæ communionem accipere. Unde poſt ſupra citata verba ex lib. de Eccleſ. Dogm. additur: *Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum ſuadeo & hortor.* Hac da re legendus eſt Catechiſmus Rom. in p. 2. c. 4. n. 6.

Angelicus etiam Doctor in 3. p. q. 80. a. 10. ad 3. poſtquam aſſeruit, *quod reverentia hujus ſacramenti habet timorem amori conjunctum .... ex amore enim provocatur deſiderium ſumendi, ex*

ex timore autem conſurgit humilitas reverendi ; & ideo utrumque pertinet ad reverentiam hujus ſacramenti, & quod quotidie ſumatur, & quod aliquando abſtineatur ; deinde ſubjungit : *Amor tamen, & ſpes, ad quæ ſemper Scriptura nos provocat, præferuntur timori : unde & cum Petrus dixiſſet :* Exi a me, Domine, quia homo peccator ſum ; *reſpondit Jeſus :* Noli timere.

Commendat pariter frequentem ſacræ Communionis uſum, in Religioſis præſertim & Sacerdotibus, S. Bonaventura in lib. *de proceſſu Religionis*, proceſſu 7. c. 21. ubi inter alia ſcribit : *Humilitas non eſt uſquequaque ſecura, propter quam diu ſe ſubtrahit, quia ſicut non eſt dignus ſæpe corpus Chriſti percipere, ita nec ſemel. Ideo non recipimus illud, quaſi qui digni ſumus, ſed ut illo nos ſæpe viſitante, & habitaculum cordis, & corporis noſtri ſubintrante, magis ac magis digni efficiamur. Quo enim introierit, benedicet Deus, ſicut olim domum Obededom benedixit propter arcam Domini, in qua manna ſervabatur ; & propter hoc David voluit eam reducere cum benedictione ; & in Sap. c. 8. v. 9. dicitur :* Propoſui hanc adducere mihi : ſciens, quoniam communicabit mecum de bonis ſuis.

Hinc nonnulli, quos inter Octavianus de Martinis Oratione in vitam S. Bonaventuræ, recenſent, quod cum S. Doctor pluribus diebus ad Euchariſtiam præ reverentia minime acceſſiſſet ; *dum die quadam in Miſſa devotus adeſſet, Deus reſpiciens ad illius humilitatem, particulam conſecratæ hoſtiæ, de manu celebrantis per Angelum acceptam, illius ori clementer immiſit.*

Poſtremo frequentiam Communionis ad Sa-

cerdotes præcipue pertinere, ex eo quoque colligitur, quod ipſi inter Deum ac populum mediatorum funguntur officio: unde etiam inculpatius ſanctiuſque (ut *primitivæ Eccleſiæ Fideles*) vivere illos oportet, ac minus ejuſmodi actionibus implicari, quibus ipſorum affectus & devotio erga SS. hoc Sacramentum præ nimia animi diſtractione tepeſcat. Quare Gregorius M. hom. 37. in Evang. & lib. 4. Dialog. c. 56. inter laudes S. Caſſii Narnienſis Epiſcopi hoc præcipuum ponit, quod quotidianum Deo ſacrificium offerre conſueverat; addens, quanta animi devotione ac præparatione ab illo factum id fuerit. Alios denique SS. Viros quotidie ſacris operatos fuiſſe demonſtrat P. Mabillon Præfat. in 2. Sæc. Benedict.

Ne vero quis nimium de ſeipſo præſumens, in re tanti momenti minus caute operetur, docti prudentiſque Confeſſarii conſilia ſequi juvat: is autem monitum illud memoria teneat, quod legitur Proverb. 25. v. 16. *Mel inveniſti, comede quod ſufficit tibi, ne forte ſatiatus evomas illud*. Denique de illis qui matrimonio juncti ſunt, legenda ſunt quæ in ſuperiori capite ex S. Bonaventura notavimus.

CA-

CAPUT XIV.

Num neceſſe ſit laicis ſub utraque ſpecie Euchariſtiam accipere?

QUi primum neceſſariam laicis communionem ſub utraque ſpecie affirmarunt, teſte Ænea Sylvio in Hiſtoria Bohemorum cap. 35., fuere circa annum 1414. Petrus Dreſdenſis Ludimagiſter, & Jacobellus Miſnenſis, qui Pragæ magno auditorum plauſu ſacras conciones habebat. His adhæſerunt Huſſitæ, ac illi præſertim qui duce Roqueſane *Calixtini* dicti ſunt ab uſu calicis, pro quo certabant, cujuſque formam ubique pingebant; unde pervulgatum diſtichon illud;

Tot pingit calices Bohemorum terra per urbes,
Ut credas Bacchi numina ſola coli.

Eandem calicis neceſſitatem perſuaſit Caroloſtadius circa annum 1521. Eccleſiæ Withembergenſi; quod ægre tulit Lutherus, affirmans communionem ſub utraque ſpecie *inter res indifferentes* eſſe adnumerandam; quamvis & ipſe parum ſibi conſtans, poſt varias hac de re ſententias, tandem in lib. de Viſitatione Saxonica communionem ſub una ſpecie aperte damnavit. In hunc etiam impegerunt errorem Calvinus, ejuſque aſſeclæ, quibus recentiores nonnulli ex Græcis aſſentiuntur.

Propoſitio. Laici, ac Clerici non conficien-

tes, neque ex divino præcepto, neque ex ſalutis neceſſitate tenentur ad ſumendam ſub utraque ſpecie communionem.

Probatur. Chriſtus corporis & ſanguinis ſui Sacramentum inſtituens, nullum in futura tempora præceptum tulit præter illud de corpore ſuo, *Hoc facite in meam commemorationem*, ut legitur Lucæ 22. 19. & in 1. ad Cor. 11. 24. ac præter illud de ſanguine, *Hoc facite, quotieſcunque bibetis in meam commemorationem*, uti habetur in eadem epiſt. eodemque cap. v. 25. Nam alia Domini verba, *Accipite*, *manducate*, *bibite*, non præcipientis ſunt, ſed invitantis ad oblata dona ſumenda; vel ſi præceptum continent, hoc ad eos tantum ſpectat, qui præſentes erant, ideſt ad Apoſtolos, *conſtitutos tunc novi teſtamenti Sacerdotes*, & ad Sacerdotes reliquos, quibus pariter, ut conſecrent, diſtribuantque, commiſſum eſt. Atqui prioribus verbis illis, *Hoc facite in meam commemorationem*, utpote abſolute tantum poſt Dominici corporis diſtributionem prolatis, non præcipitur utriuſque ſpeciei diſtributio: neque poſterioribus, cum determinationem illam includant, *Quotieſcumque bibetis*; per quod apparet communionem ſub ſpecie vini non abſolute a Domino fuiſſe præceptam, ſed de ea tantummodo juſſum, ut ſi fiat, *quotieſcunque fiat*, in Domini commemorationem fiat.

Idem quoque colligitur ex Apoſtoli verbis in citato cap. v. 27. *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, &c.* non enim disjunctive loqueretur, niſi ſentiret unam ſpeciem ſine altera ſumi poſſe.

Evidentius autem id probatur ex quo vetus Ec-

Eccleſia non infrequenter ſacram Euchariſtiam ſub una tantum ſpecie tradidit, 1. quidem infirmis, ut conſtat ex facto Serapionis, cui in exitu vitæ porrectam fuiſſe exiguam panis particulam *in aqua intinctam*, narrat Euſebius lib. 6. H. E. c. 44. Legitur etiam in Vita S. Ambroſii ſcripta a Paulino Diacono, quod Honoratus Vercellenſis Epiſcopus *obtulit Sancto* Ambroſio *Domini corpus; quo accepto, ubi glutivit, emiſit ſpiritum*. Item Cluniacenſes Monachi ante ſexcentos annos infirmis dabant unam *ſpeciem panis* madefactam vino non conſecrato, aſſervabantque pro viatico abſque ſpecie vini quatuor hoſtias *in pixide*, *& in aurea columba ſuper altare pendente*; ut refert Uldaricus in lib. 1. Conſuetud. Cluniacenſ. c. 8. & lib. 3. c. 28. Unica quoque ſpecie communicaſſe Monachos S. Columbani morti proximos patet ex ejuſdem Vita in ſæculo 2. Benedict. n. 29. Denique Græci apud Arcudium in Concordia lib. 3. c. 40. habent regulam Eliæ Metropolitæ Cretenſis, ut communio accommodetur *ad ipſorum ægrotantium infirmitatem*; nimirum, ſi comedere nequeant, ſolus eis potus Euchariſticus miniſtretur.

2. Infantibus unam vini ſpeciem conceſſam fuiſſe colligitur ex illuſtri miraculo puellæ, quæ contaminata pane & mero ex immolationibus idolorum, porrectum a Diacono *calicem* recuſavit, & reluctanti infuſus potus *de Sacramento calicis*, in corpore atque ore violato permanere non potuit, uti in lib. de lapſis teſtis eſt Cyprianus. Adminiſtratum puerulis Sacramentum ſanguinis, *digito Sacerdotis intincto* conſtat ex Hugone Victorino lib. 1. de Sacram.

c. 20. & ex antiquis Pontificalibus a Martenio laudatis lib. 1. c. 1. a. 15. n. 15. & a. 18. ord. 14. Ipſi etiam Græci ex antiqua conſuetudine parvulis recens baptizatis Euchariſtiam tribuunt, imbuentes tantummodo vini guttula ipſorum linguam, ut ſcribit Arcudius loco citato. Narrant præterea Evagrius lib. 4. H. E. c. 36. & Nicephorus lib. 17. c. 25. pueris Grammaticorum ſcholas frequentantibus diſtributas Euchariſtici panis micas, quæ poſt celebrata Miſſarum ſolemnia ſuperabant.

3. In domeſtica communione unicam paſſim adhibitam fuiſſe ſpeciem apparet ex Tertulliano, qui in lib. 2. ad Uxorem c. 5. ait: *Non ſciet maritus, quid ſecreto ante omnem cibum guſtes. Et ſi ſciverit, panem, non illum credit eſſe qui dicitur*, nempe corpus Chriſti. Ubi vides ſolam panis ſpeciem indicari. Idem colligitur ex Baſilio in epiſt. ad Cæſariam Patriciam, ex Cypriano in lib. de lapſis, aliiſque teſtantibus, Euchariſtiam *ſub ſpecie panis* perſecutionis tempore domi ab unoquoque ſumptam, & ab eis qui in eremo monaſticam vitam agebant propria manu perceptam.

4. Etiam in communione publica porrectam aliquando unicam ſpeciem apparet ex Hieronymo, qui in epiſt. 22. ad Euſtochium n. 18. recenſet ſacras virgines a vino abſtinentes calici non communicaſſe; & ideo mulieres vino ſe ingurgitantes ajebant, *Abſit, ut ego me a Chriſti ſanguine abſtineam*; & ſi quam pallentem triſtemque videbant, vocabant *miſeram*, *Monacham*, *Manichæam*. Narratur inſuper in Vita S. Bernardi a Guilelmo Abbate conſcripta, lib. 1. c. 11. n. 51. illum in præcipuis ſolemni-

nitatibus unicam ſpeciem diſtribuiſſe; uti conſtat ex facto cujuſdam Monachi, qui indignus accedens non potuit ſacram hoſtiam *ad interiora trajicere*, & poſt horam ſextam ad pedes S. Patris provolutus *aperto ore ipſam quoque Euchariſtiam oſtendit*. Tandem ſola ſpecies panis abſumitur in Miſſa *Præſanctificatorum*, quam Latini ex vetuſta conſuetudine celebrant feria 6. in Paraſceve, & Græci toto quadrageſimali tempore, nonnullis dumtaxat diebus exceptis.

Ex his autem momentis omnibus argumentum iſtud aperte deſcendit: Id divinum præceptum non habet, neque neceſſitatem ſalutis includit, quod multoties Eccleſia non ſervavit: atqui ejuſcemodi eſt communio ſub utraque ſpecie relate ad laicos, Clericoſque non conficientes: ergo &c. Merito itaque Tridentina Synodus ſeſſ. 21. can. 1. ita decrevit: *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis omnes & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere, anathema ſit.* Additque can. 2. *Si quis dixerit, ſanctam Eccleſiam Catholicam non juſtis cauſis, & rationibus adductam fuiſſe, ut laicos, atque etiam Clericos non conficientes, ſub panis tantummodo ſpecie communicarent, aut in eo erraſſe, anathema ſit.* Ac deinde can. 3. ſubdit: *Si quis negaverit totum & integrum Chriſtum omnium gratiarum fontem & auctorem, ſub una panis ſpecie ſumi, quia, ut quidam falſo aſſerunt, non ſecundum ipſius Chriſti inſtitutionem ſub utraque ſpecie ſumatur, anathema ſit.* Hoc etiam a Conſtantienſi & Baſileenſi Conciliis jam antea fuerat definitum.

Objicies 1. Chriſtus Joan. 6. v. 54. ait : *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis , & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis* . Utramque ergo ſpeciem ſumendam ſub præcepto propoſuit.

Deinde, diſpenſanda & accipienda eſt Euchariſtia juxta Chriſti inſtitutionem : at Chriſtus ſub utraque ſpecie Euchariſtiam inſtituit.

Præterea, ſicut ille panem porrigens inquit Matth. 26. v. 26. *Accipite , & comedite ;* ita v. proximo porrigens calicem ait, *Bibite ex hoc omnes*. Sicut ergo ad omnes Apoſtolos, ita & ad omnes Fideles præceptum pertinet utramque ſpeciem ſumendi ; nam in ultima cœna Apoſtoli univerſam repræſentabant Eccleſiam.

Reſp. fruſtra nobis opponere Novatores caput 6. Joannis, quod eorum plerique accipiendum eſſe contendunt non de oris, ſed fidei manducatione, qua nempe credamus Chriſti carnem pro nobis crucifixam fuiſſe, ejuſque ſanguinem in peccatorum remiſſionem effuſum ; uti præ ceteris ſentit Calvinus in lib. 4. Inſtit. c. 17. Nullam præterea vim habet argumentum, ſi juxta quorundam Patrum interpretationem ea verba, *Niſi manducaveritis, &c.* accipiantur de myſtica manducatione, qua per Sacramentum regenerationis Eccleſiæ inſerimur, effuſoque pro nobis cruore mundamur. Corruit denique argumentum, ſi dicatur, etiam ſub una ſpecie veriſſime ſumi integrum corpus & ſanguinem Chriſti, propter neceſſariam utriuſque concomitantiam, ſeu connexionem in corpore vivo, quale eſt Chriſti corpus in Euchariſtia ſubſiſtens.

Non ergo verba illa , *Niſi manducaveritis* , *&c.*

&c. continent præceptum ſumendi utramque ſpeciem ſeparatim. Effectus enim, qui utrique ſpeciei tribuitur, etiam uni tantum adſcribitur; uti notavit Synodus Tridentina ſeſſ. 21. cap. 1. ſcribens: *Qui dixit*, Joan. *6.* v. 54. Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis; *dixit quoque* eodem in cap. v. 52. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. *Et qui dixit* ibidem v. 55. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam; *dixit etiam* v. 52. Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. *Is denique qui dixit* v. 57. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo; *dixit nihilominus* v. 59. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Ex quo patet, eo in textu particulam *&* poſſe optime accipi *disjunctive*; quod non infrequenter in Scripturis occurrit; proindeque hic reddi poteſt ſenſus: *Si neque manducaveritis carnem Filii hominis, neque biberitis ejus ſanguinem, &c.* Tametſi idem textus vim propriam nativamque retineat, quatenus manducans carnem, & *panem vivum*, ſumit etiam ſanguinem, & ſub una ſpecie totum Chriſtum contineri firmiſſime credit.

Ad alterum. Aliud eſt inſtitutio, aliud vero præceptum. Multa enim Chriſtus inſtituit, quæ tamen omnibus non præcepit, ut Matrimonii Sacramentum, Eccleſiaſticum Ordinem, Evangelii prædicationem, officium baptizandi, & ejuſcemodi plura. Deinde in Sacramentis a Chriſto inſtitutis diſtinguenda eſt ipſorum ſubſtantia a ritibus dumtaxat extrinſecis; ita ad

Bap-

Baptiſmi ſubſtantiam ſpectat ablutio externa facta per aquam, & forma verborum; cetera vero extrinſeca ſunt, ut quod unica vel trina fiat ablutio, & in aqua fluminis, vel ſtagnante, &c. item quod forma Latino, vel alio ſermone proferatur, &c. Eodem pariter modo in Euchariſtiæ Sacramento contingit. Si ſubſtantiam ejus conſideres, aliud non requiritur, quam Chriſtus exiſtens ſub externo panis, aut vini conſecrati ſymbolo. Si Chriſtus non adſit, ut apud Calviniſtas, non eſt Sacramentum: Si adſit quidem, non vero ſub ſymbolo panis, aut vini, ne tunc quidem Sacramentum habetur. Utrumque ergo requiritur, externum nempe ſymbolum, & Chriſtus ſub eodem ſymbolo comprehenſus. Perinde autem eſt, unum, aut duo ſint ſymbola, ſi de Sacramenti effectu loquamur.

Ad ultimum. Verba Chriſti Euchariſtiam inſtituentis directa fuere ad ſolos Apoſtolos, ſegregato in loco diſcumbentes, & ad Sacerdotium promotos: quare illi non alia ratione totam repræſentabant Eccleſiam, quam Primates, & Magiſtratus Rempublicam repræſentant. Nihil itaque ex c. 26. Matthæi inferri poteſt, niſi Sacerdotibus impoſitum munus conſecrandi, & diſtribuendi Euchariſtiam. Si enim omnia quæ in cœna Chriſtus dixit, ad omnes Fideles promiſcue pertinerent, & præceptum includerent, ſequeretur, quod deberent hi omnes utramque ſpeciem tum ſumere, tum etiam conſecrare.

Deinde non ait Chriſtus Apoſtolis, *Diſtribuite calicem*, immo neque eo conſecrato, ipſumque porrigens inquit, *Hoc facite*, ſed, *Bibi-*

bite ex eo omnes; ut inde colligerent Sacerdotes juſſum utique ſibi, ut dum conficerent, de calice biberent, & ſacrificium conſummarent, non tamen ut calicem diſtribuerent. Quæ enim non ſunt omnibus neceſſaria, ſed ad conſuetudines, vel ceremonias ſpectant, Chriſtus neque mandavit, neque prohibuit, ſed Eccleſiæ arbitrio mutanda, & dirigenda reliquit. Ea itaque verba, *Bibite ex eo omnes*, dicta ſunt ad ſingulos ſacrificantes, & perperam a Novatoribus ad omnes etiam laicos extenduntur.

Præterea, cum in cœna Dominus diviſiſſet Euchariſticum panem in varias partes, & ſingulis Apoſtolis ſingulas porrexiſſet, calix autem eo modo dividi non poſſet; uni dumtaxat ex Apoſtolis integrum tradidit, ut is proximiori, & iſte alteri ad ultimum uſque porrigeret; ac dixit, *Bibite ex hoc omnes;* id eſt, non unus totum exhauriat, ſed ſinguli ex hoc aliquid bibant: unde apud Lucam Dominum dixiſſe fertur, c. 22. v. 7. *Accipite, & dividite inter vos*. Quod præceptum tunc impletum fuiſſe teſtatur Marcus c. 14. v. 24. ſcribens: *Et biberunt ex eo omnes*.

Objicies 2. Sumendum eſt hoc Sacramentum in commemorationem Dominicæ paſſionis, & mortis, ut ait Apoſtolus. At Chriſti mors & paſſio non commemoratur ſola communione panis, quia hæc non repræſentat ſanguinem effuſum, & a corpore ſeparatum.

Ad hæc, ſanguinis effuſione novum Teſtamentum confirmatum eſt, immo idem ſanguis Lucæ 22. v. 20. dicitur *Teſtamentum*: ſicut ergo teſtamentum ad omnes pertinet, ita pariter ſanguinis participatio, & communio.

Reſp.

Reſp. Euchariſtiam conſiderari poſſe, ut ſacrificium, & ut ſacramentum eſt: ad rationem ſacrificii requiritur myſtica quædam immolatio, quæ fit dum ſeorſim corpus a ſanguine conſecratur; qua ſeparata conſecratione ſignificatur ſacrificium crucis, in qua Chriſti ſanguis fuit effuſus, & diviſus a corpore; & ideo, inquit S. Thomas in 3. p. q. 80. a. 12. ad 3. *non debet corpus ſine ſanguine conſecrari*. Ad rationem vero Sacramenti ſufficit, ut ſit ſenſibile ſignum corporis Chriſti pro nobis immolati, quale utique ſignum perſiſtit in una ſpecie; quoniam dum una ſpecies ſumitur ſine altera, ſignificatur corpus Chriſti fuiſſe a ſanguine ſeparatum. Unde ſubdit ibidem Doctor Angel. *Poteſt autem a populo corpus ſine ſanguine ſumi. Nec exinde ſequitur aliquod detrimentum, quia Sacerdos in perſona omnium ſanguinem offert, & ſumit, & ſub utraque ſpecie totus Chriſtus continetur*. Similia leges apud S. Bonaventuram in 4. d. 11. p. 2. a. 1. q. 2.

Ad 2. Sanguis eatenus appellatur *teſtamentum*, quatenus eo novum teſtamentum firmatum eſt. Unde magis proprie in genitivo caſu dicitur ſanguis novi teſtamenti, ſcilicet confirmationis; qui caſus habetur in Matthæo, & Marco, & Canone Miſſæ. Eſt autem hic novi teſtamenti calix ita a Chriſto inſtitutus, ut diſpenſari quidem ab Eccleſia poſſit omnibus credentibus, ſi ſic ei videatur, non ita ut neceſſe ſit ſemper eum omnibus diſpenſari. Eſtque pro legato quodam teſtamentario relictus quidem Eccleſiæ, non ea tamen conditione, ut omnibus ſejunctim a corpore tribuatur, ſed illis & eo modo, quemadmodum id Eccleſia expedire cenſuerit.

Ob-

Objicies 3. Vetus traditio, & conſtans antiquitatis judicium communionem utriuſque ſpeciei commendat. Hoc enim de calice præceptum ultra mille annos Eccleſia univerſa ſervavit. Teſtis eſt in altera Apologia Juſtinus, Cyprianus in epiſt. ad Cæcilium, Chryſoſtomus hom. 18. in 2. ad Corinthios, aliique communiter. Neque prætermittendum eſt Gelaſii decretum de quibuſdam calicem recuſantibus, a Gratiano relatum cap. *Comperimus*, de Conſecr. d. 2. n. 12. *Comperimus autem, quod quidam ſumpta tantummodo corporis ſacri portione, a calice ſacri cruoris abſtineant. Qui proculdubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur obſtringi, aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diviſio unius ejuſdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire.*

Reſp. ex argumento aliud non inferri, niſi utriuſque ſymboli communionem fuiſſe aliquando laicis adminiſtratam, quod minime negamus; ex plurimis tamen momentis oſtendimus, olim etiam frequentiſſimam fuiſſe ſumptionem unius ſpeciei, in communione præſertim domeſtica, atque in porrecta pueris, ægrotis, abſtemiis, necnon in Miſſa quam *Præſanctificatorum* appellant.

Ad Gelaſii decretum Theologi, & Canoniſtæ duplicem adhibent reſponſionem. Prima eſt, quam tradit etiam S. Thomas in 3. p. q. 80. a. 12. ad 1. eo decreto damnari quoſdam Sacerdotes, qui poſt conſecrationem ſumebant corpus, ſed abſtinebant a ſanguine; nam apud Ivonem, Micrologum, & Gratianum, capiti *Comperimus* titulus iſte præfigitur, *Corpus Chri-*

ſti

ſti ſine ejus ſanguine Sacerdos non debet accipere . Altera reſponſio eſt recentiorum fere omnium , qui putantes decretum illud eſſe Gelaſii I. & latum adverſus Manichæos (quod tamen incertum eſt) docent, Gelaſium idcirco communionem calicis præſcripſiſſe, ut hoc indicio detegerentur iidem Manichæi, qui ſacrilega ſuperſtitione a vino tanquam a re mala & diabolica abſtinebant ; unde etiam inferunt ante Gelaſium unicuique liberum fuiſſe aut unam ſpeciem ſumere , aut alteram , aut utramque . Certe Manichæi , ut tutius in Urbe laterent , frequentabant Catholicorum myſteria, *ſed ſanguinem Redemptionis haurire declinabant* ; quare S. Leo M. ſerm. 4. de Quadrageſima ait , Sacerdotali auctoritate a ſanctorum ſocietate pellendos eos , quorum ſacrilega ſimulatio tali indicio fuerit deprehenſa . Probabilis eſt utraque reſponſio , planeque diluit argumentum .

Objicies 3. Sacramentum Euchariſtiæ proponitur nobis uti ſpirituale convivium , cujus integritas ac perfectio ex cibo , potuque conſurgit : ergo qui accipit ſolam panis ſpeciem quæ ad cibum pertinet , imperfectum accipit ſacramentum .

Huc accedit , quod alius cibi effectus ſit , alius vero potus : qui ergo per modum dumtaxat cibi hoc Sacramentum accipiunt, peculiari aliquo fraudantur effectu .

Reſp. ex S. Bonaventura in 4. d. 11. p. 2. a. 1. q. 2. quod in hoc Sacramento *duo ſunt , ſcilicet efficacia , & ſignantia . Eſſe igitur de integritate ſacramenti dupliciter eſt : aut quantum ad efficaciam , & ſic neutra ſpecies eſt de integritate, ſed qualibet eſt totum, quod habet effica-*

caciam. Aut quantum ad ſignationem, vel ſignificantiam; & ſic ſunt de integritate, quia neutra per ſe exprimitur res hujus Sacramenti, ſed in utraque ſimul; & hoc patet ſic. Hic ſignificatur Chriſtus cibus perfecte reficiens manducantes ſacramentaliter, & ſpiritualiter: perfecta autem refectio non eſt in pane tantum, ſed in utroque: ideo non in uno tantum perfecte ſignatur ut reficiens, ſed in utroque. Addit deinde S. Doctor: *Fideles recipiunt perfectum Sacramentum ſub una ſpecie, (totus enim Chriſtus in alterutra ſpecie continetur) quia ad efficaciam recipiunt. Sed quantum ad ſignantiam ſufficit, quod Eccleſia facit in eorum præſentiam.*

In ſpirituali ergo convivio idem eſt quod ſub ſpecie panis, ac quod ſub vini ſpecie continetur, utrobique ſcilicet totus adeſt, & integer Chriſtus; quod minime reperitur in partibus, quibus convivium corporale componitur. Hinc utraque ſacramentalis ſpecies etiam ſeparata convivium eſt plenum, plenumque producit effectum. Unde Synodus Tridentina ſeſſ. 21. cap. 3. declarat, *fatendum eſſe, etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia, neceſſaria ad ſalutem, eos defraudari, qui unam ſpeciem ſolam accipiunt.*

Ex dictis infertur, minus probabilem eſſe quorundam Catholicorum opinionem affirmantium, quod etſi utraque ſpecies non ſit neceſſaria ad ſalutem, ex utriuſque tamen ſpeciei communione uberior gratia percipiatur. Cum enim totus Chriſtus ſit ſub utraque ſpecie, tantum virtutis & efficaciæ ad conferendam ſpiritualis re-

refectionis gratiam invenitur in alterutra ſpecie, quantum eſt in utraque. Non enim ratione ſigni confertur gratia, ſed ratione rei ſignatæ, Chriſti videlicet, cujus caro, & ſanguis divinitati hypoſtatice uniuntur: alioquin qui plures conſecrati panis portiones in eadem communione perciperet, pro illarum portionum numero majorem gratiam obtineret; quod falſum eſt: niſi forte loqui volueris de uberiori gratia aliquando collata *ex opere operantis*, & ob repetitos devotionis actus; quod poteſt etiam in unius ſpeciei communione contingere. Hinc appoſite S. Thomas in loco paulo ſuperius laudato ait: *Poteſt a populo corpus ſine ſanguine ſumi. Nec exinde ſequitur aliquod detrimentum, quia Sacerdos in perſona omnium ſanguinem offert, & ſumit, & ſub utraque ſpecie totus Chriſtus continetur.*

At poſtremo quæres hic 1. quaſnam ob cauſas Eccleſia laicis uſum calicis interdixerit?

Reſp. cum Catechiſmo Rom. p. 2. c. 4. n. 66. „ Multis, & iis quidem graviſſimis rationibus „ adductam eſſe Eccleſiam, ut hanc potiſſimum „ ſub altera ſpecie communicandi conſuetudi„ nem non ſolum approbaret, ſed etiam de„ creti auctoritate firmaret.

„ Primum enim maxime cavendum erat, „ ne ſanguis Domini in terram funderetur: „ quod quidem facile vitari poſſe non videba„ tur, ſi in magna populi multitudine eum „ miniſtrare oportuiſſet.

„ Præterea, cum ſacra Euchariſtia ægrotis „ præſto eſſe debeat, magnopere timendum „ erat, ne, ſi diutius vini ſpecies aſſervaretur, „ coaceſceret.

„ Per-

„ Permulti præterea ſunt, qui vini ſaporem, „ ac ne odorem quidem perferre ullo modo „ poſſint. Quare, ne quod ſpiritualis ſalutis „ cauſa dandum eſt, corporis valetudini noce„ ret, prudentiſſime ſancitum eſt ab Eccleſia, „ ut panis tantummodo ſpeciem Fideles acci„ perent,

„ Accedit ad alias rationes, quod in pluri„ bus Provinciis ſumma vini penuria labora„ tur; neque id aliunde ſine maximis impen„ ſis, & non niſi longiſſimis, ac difficillimis „ itineribus convehi poteſt.

„ Deinde, quod maxime omnium ad rem „ pertinet, convellenda erat eorum hæreſis, „ qui negabant ſub utraque ſpecie totum Chri„ ſtum eſſe, ſed corpus tantum exangue ſub „ panis, ſanguinem autem ſub vini ſpecie con„ tineri aſſerebant. Ut igitur fidei Catholicæ „ veritas magis ante omnium oculos ponere„ tur, ſapientiſſimo conſilio, alterius ſpeciei, „ hoc eſt, panis communio inducta eſt. Sunt „ & aliæ rationes ab iis collectæ, qui de hoc „ argumento diſſerunt, “ Lege S. Thomam, & S. Bonaventuram in locis ſupra citatis.

Quæres 2. num expediat ſublatum calicis uſum laicis iterum permittere?

Reſp. negative. Si enim id expediret, maxime foret, ut Proteſtantes hac ratione redirent ad unitatem Eccleſiæ; At cauſa ſeparationis non eſt ſola priſtinæ conſuetudinis abolitio, ſed pravitas dogmatum, & pertinacia doctrinæ negantium integrum Chriſtum ſub una ſpecie contineri.

Præterea, vel Novatores uſum calicis retinent tanquam ritum indifferentem, vel neceſ-

ſarium ad ſalutem exiſtimant. Si indifferentem credunt; cur ipſi potius non recedunt a variabili diſciplina, ut Eccleſiæ ſtatutis obtemperent, nec ab ea ſeparati ſacrilege & inutiliter Sacramenta participent, quæ extra unitatem veræ Eccleſiæ prodeſſe non poſſunt? Si vero neceſſarium putant, illis in tam abſurdo errore aſſentiri non licet.

Inſuper cum Romani Pontifices, ac præſertim Pius IV. quibuſdam per Germaniam laicis calicem conceſſiſſet; tali humanitate adeo quidam abuſi ſunt, ut hoc prætextu damnatam Jacobelli Miſnenſis hæreſim ſuſcitarent: quod impulit S. Pium V. & Gregorium XIII. ad revocandam Pii IV. conceſſionem, ut narrat Raynaldus ad annum 1564. num. 36.

Etſi denique non omnes, quibus reſtitueretur uſus calicis, inducerentur in impiam illam opinionem, quod utraque ſpecies neceſſaria ſit ad ſalutem, atque in una totus Chriſtus non contineatur; alii tamen hæretici in ſuo firmarentur errore, & jactarent Romanam Eccleſiam retractaſſe ſententiam, nec eſſe irrefragabilem Regulam credendorum.

His, & conſimilibus rationibus nonnulli Oratores, qui in Tridentina Synodo nomine quorumdam Principum inſtabant pro reſtituendo calicis uſu, perſuaſi & inſtructi a petitione ſua receſſerunt: quamquam prudentiſſime eadem Sancta Synodus in fine ſeſſionis XXII. decreverit, *integrum*, hac in re, *negotium ad SS. Dominum noſtrum*, Romanum nempe Pontificem, *eſſe referendum; qui pro ſua ſingulari prudentia id efficiat, quod utile Reip. Chriſtianæ, & ſalutare petentibus uſum calicis, fore judicaverit*. DE

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS

LIBER XXIX.

In quo de Euchariſtia ſub Sacrificii ratione tractatur.

DUplici ex cauſa Chriſtus Dominus ſacroſanctam Euchariſtiam inſtituit. Altera quidem eſt, ut cœleſtis animæ noſtræ cibus eſſet, cujus Sacramenti ſumptione ſpiritualem vitam tueri, & conſervare poſſemus: altera vero, ut Eccleſia perpetuum ſacrificium haberet, cujus oblatione peccata noſtra expiarentur, & Deus Pater ſceleribus noſtris ſæpe graviter offenſus, ab ira ad miſericordiam, a juſtæ animadverſionis ſeveritate ad clementiam propitius flecteretur. Hujus rei figura, & ſimilitudo in Paſchali Agno præceſſit, quem uti ſacrificium offerre, & uti ſacramentum comedere Judæi ſolebant. Cum itaque de Euchariſtia, prout eſt Sacramentum, ſuperiori in libro dixerimus, de eadem nunc, prout ſacrificium eſt, remanet diſputandum.

CAPUT I.

Num vera Sacrificii ratio Eucharistiæ conveniat?

SAcrificii nomen aliquando ſignificat qualecunque opus bonum, quod ex bona voluntate procedens acceptum eſt Deo, ejuſque indignationem avertit, & benevolentiam promeretur; quo ſenſu in Pſal. 49. v. 14. legitur: *Immola Deo ſacrificium laudis*: & in Pſal. 50. v. 19. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*. Idem vero nomen quandoque deſignat externum religionis officium, quo Deo tanquam ſupremo univerſorum Domino fit aliqua ſenſibilium rerum oblatio; ut cum tempore legis naturæ, vel ſcriptæ in ara a Sacerdotibus immolabantur fruges, effundebantur libamina, mactabantur pecudes, & holocauſta cremabantur.

Hoc in ſenſu magis proprio ſtrictoque nunc ſacrificii nomen accipimus, illudque cum Theologis omnibus ita deſcribimus: *Eſt externa oblatio a legitimo miniſtro facta ſoli Deo, qua in ejus cultum, & ſupremi dominii argumentum res aliqua ſenſibilis ritu myſtico conſecratur, & immutatur*. Ex qua deſcriptione colligitur, in ſacrificio offerendam eſſe rem aliquam extra nos poſitam, non voluntatem dumtaxat, animique affectum; oblationem hanc non a quocunque, ſed ab iis, quibus id muneris commiſſum eſt, &

& religioſo ritu eſſe perficiendam ; rem denique oblatam, ut quodammodo ſuprema Dei poteſtas reſplendeat, eſſe *myſtice* deſtruendam, aut abſumptione ignis, aut diviſione partium, aut liquidorum effuſione, aut rerum oblatarum conſummatione : alioqui, niſi talis immutatio intercedat, habebitur quidem oblatio, ſacrificium autem haberi non poterit.

Inter veteres hæreticos perpauci inveniuntur, qui Euchariſticum ſacrificium negare ſint auſi. Hoc tamen ſcelus attentarunt Petrobruiſſiani, Albigenſes, atque hos ſubſecuti ceteri Novatores ; qui licet Miſſam, ſive ſacram Cœnam multis modis ſacrificium dici poſſe concedant ; negant tamen eſſe ſacrificium externum, vere ac proprie dictum, in quo Deo Patri corporis & ſanguinis Chriſti exhibeatur oblatio.

Propoſitio. Euchariſtia eſt verum, ac proprie dictum novæ legis ſacrificium.

Probatur. Chriſtus Dominus Euchariſtiæ Sacramentum inſtituens, verum in ea obtulit ſacrificium, quod præcepit, ut Apoſtoli, eorumque in ſacerdotio Succeſſores offerrent : ergo &c. Patet antecedens : nam Pſal. 109. v. 4. & ad Hebr. 7. v. 17. de Chriſto legitur : *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Atqui ita appellari non poteſt, niſi quia Euchariſtiam ſub panis & vini ſpeciebus inſtituens, verum externumque ſacrificium obtulit; ſicut olim Melchiſedech, *Sacerdos Dei altiſſimi*, in pane vinoque ſacrificaſſe conſtat ex Geneſis c. 14. v. 18. Hinc S. Cyprianus epiſt. 63. ad Cæcilium ait : *Quis magis Sacerdos Dei ſummi, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & hoc idem quod Melchi-*

chiſedech obtulerat, ideſt panem, & vinum, ſuum ſcilicet corpus, & ſanguinem? Lege quæ ſcripſimus in lib. 19. cap. 13.

Quod vero Chriſtus juſſerit, ut Apoſtoli, aliique Sacerdotes idem ſacrificium offerrent, unanimi conſenſione SS. Patres affirmant. Irenæus enim in lib. 4. c. 17. alias 32. inquit: *Novi teſtamenti novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in univerſo mundo offert Deo*. Cyprianus in ſupra citata epiſt. *Jeſus Chriſtus ſacrificium Patri ſeipſum primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit*. Chryſoſtomus hom. 24. in 1. ad Cor. *Pro cæde brutorum Chriſtus ſeipſum juſſit offerri, ipſumque ſacrificium mutavit*. His adde Ambroſium in Pſalm. 38. n. 25. Hieronymum lib. 3. dialogi contra Pelag. Auguſtinum enarrat. 1. in Pſal. 33. n. 5. alioſque communiter. Ex quo patet jure meritoque Tridentinam Synodum ſeſſ. 22. cap. 1. hæc docuiſſe: *Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earundem rerum ſymbolis Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat ut ſumerent tradidit; & eiſdem, eorumque, ſucceſſoribus, ut offerrent in ſacerdotio præcepit per hæc verba*, Hoc facite in meam commemorationem, *uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit*.

Ad confirmandam præterea theſim accedit celebre vaticinium Malachiæ c. 1. v. 11. *Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda:*

da: quia magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. Hæc autem *oblatio*, quæ abſolute perfecteque *munda* vocatur, & ubique locorum Deo fieri dicitur, non aliud quam Miſſæ ſacrificium eſſe poteſt; uti SS. Patres, & Orthodoxi Doctores ad unum omnes exponunt, adſtipulantibus etiam Rabbinorum pluribus, qui apud Galatinum lib. 11. c. 9. ex hoc teſtimonio verum ſacrificium abſque victimarum cruore, & ſine loci coarctatione offerendum agnoſcunt. Perſpicue enim Hebraicæ voces, *Minchah meorà*, quas Latinus reddidit, *oblatio munda*, ſignificant externum aliquod ſacrificium, ac præſertim *oblationem ſimilæ*, molitæque farinæ, Levit. c. 2. v. 1. & 2. nec alia eſt vis Græcarum dictionum, θυσία καθαρά, *ſacrificium mundum*.

Aliæ quoque plures fuere ejuſdem ſacrificii vaticinationes, ut Iſaiæ 14. v. 19. prædicitur altare in Ægypto erigendum, & c. ult. v. 21. necnon Jeremiæ 33. v. 22. prænunciantur Sacerdotes & Levitæ alterius generis ab Aaronicis. Spectat huc etiam verſus 16. Pſalmi 71. *Et erit firmamentum in terra, in ſummis montium*; in codice enim Hebraico pro *firmamento* habetur, *piſſath bar*, quod Hieronymus vertit *memorabile triticum*, Paulus Burgenſis *placentula frumenti*, Vatablus, & Genebrardus *pugillus frumenti*; itemque Chaldæus legit, *Erit ſacrificium frumenti in terra in capite montium Eccleſiæ*, ſive, ut R. Jonathan habet, *in vertice Sacerdotum*. Plures denique veteres Rabbini tradunt hoc in loco prænunciatum fuiſſe delicatiſſimi panis ſacrificium Meſſiæ tempore offerendum: nam panis, quia cor hominis confirmat

mat, *firmamentum* dicitur in Scripturis. Vide Pſal. 103. v. 15. & 104. v. 16. &c.

Ex novo autem Teſtamento illud hic afferre ſufficiat, quod habet Apoſtolus in 1. ad Cor. 10. v. 18. & ſeq. *Videte Iſrael ſecundum carnem: nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? . . . . Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant; & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum: non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum*. Quo in loco ſupponit Paulus, quod Fideles in menſa, ſive altari Euchariſtico ſumant ſacra munera jam per verum ſacrificium immolata, ideoque Euchariſtiam eſſe ſacrificium, quod prius offertur, deinde ſumitur; quemadmodum in Judæorum, & Gentilium ſacrificiis agebatur. Lege Tridentinam Synodum in loco ſuperius laudato.

Innumera inſuper & obvia ſunt Patrum, Pontificum, & Conciliorum teſtimonia, quæ ſacrificii externi per certos miniſtros, certis ritibus, certoque loco ac tempore celebrandi mentionem faciunt, aperteque in eodem ſacrificio *oblationem* Deo factam a Sacramenti diſtributione, & communione diſtinguunt. Brevitatis cauſa hic dumtaxat S. Auguſtini auctoritatem adducimus, qui in lib. 2. Qq. Evangelicarum q. 33. n. 5. de vitulo ſaginato, epuliſque a Patrefamilias reſipiſcenti filio præparatis hæc habet: *Et iſtæ epulæ atque feſtivitas nunc celebrantur per orbem terrarum Eccleſia dilatata, atque diffuſa. Vitulus enim ille in corpore, & ſanguine Dominico & offertur Patri, & paſcit totam domum*. Nicænum quoque Concilium I. Eu-

Euchariſtiæ *oblationem* ab ejuſdem communione ſecernit, dum in can. 18. vetans Diaconis, ne Chriſti corpus Sacerdotibus porrigant, aït: *Quod nec regula, nec conſuetudo tradidit, ut ab his qui poteſtatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Chriſti corpus accipiant*. Nihil denique deſideratur in Miſſa, quod ad conſtituendum verum ſacrificium requiratur; uti ex objectorum dilutione, & ex dicendis in ſequenti capite innoteſcet.

Objicies 1. Apoſtolus in epiſt. ad Hebr. c. 7. & tribus ſequentibus ita veteris legis ſacrificia rejicit, ut in illorum locum, tanquam quæ invalida & inſufficientia fuerint, velit unicum Crucis ſacrificium tanquam ſolum efficax & ſufficiens ad remiſſionem peccatorum omnium ſucceſſiſſe; ita quod poſt ipſum non ſit aliud ſacrificium requirendum, nec præter ſummum æternumque Pontificem Chriſtum ullus alius agnoſcendus ſit in nova lege Pontifex aut Sacerdos. Id enim ea verba ſignificant c. 7. v. 23. *Et alii quidem plures facti ſunt ſacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium. Unde & ſalvare in perpetuum poteſt*, &c. uſque ad finem capitis.

In proximo inſuper c. 8. v. 3. ſcribit: *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur: unde neceſſe eſt & hunc habere aliquid quod offerat. Si ergo eſſet ſuper terram, nec eſſet Sacerdos, &c.* ex quibus apparet poſt ſacrificium Crucis nullum in terris ſacrificium remanſiſſe quod offeratur.

Addit deinde c. 9. v. 11. *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & per-*

fe-

fectius tabernaculum non manufactum, ideſt, non hujus creationis: neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem, introivit ſemel in Sancta, æterna redemptione inventa. Et infra v. 25. *Neque ut ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per ſingulos annos in ſanguine alieno; &c.* Ubi Paulus præterquam quod unicam, quæ cruenta fuit, novæ legis oblationem inculcat, aperte etiam removet Sacerdotes in alieno ſanguine ſacrificium offerentes.

Demum c. 10. idem repetens ait v. 11. *Et omnis quidem Sacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei*. Totam deinde diſputationem ſuam concludit duobus hiſce ſententiis, v. 14. *Una enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*: & v. 18. *Ubi autem horum*, peccatorum, *remiſſio, jam non eſt oblatio pro peccato*. Quæ ſane evidenter excludunt Miſſæ ſacrificium, quo Chriſtus non ſemel, non unica, ſed pluribus quotidie oblationibus ſeipſum offerre a Papiſtis aſſeritur.

Reſp. Apoſtolum iis in locis diſputare contra Judæos, quorum multi legalia tanquam ad ſalutem neceſſaria adhuc mordicus retinebant, & Leviticum Sacerdotium cum ſacrificiis ſuis a Chriſti Sacerdotio & ſacrificio ſtudioſe diſtinguere. Diſcrimen autem in eo reponit, quod Sacerdotium Leviticum ejuſque ſacrificia conſiſterent in oblatione brutorum animalium, quæ animas a peccatis emundare, aut perfectas reddere, per ſe nullo modo potuerit. Chriſti vero

Sa-

Sacerdotium, & ſacrificium in ejuſdem ſanguinis effuſione & oblatione conſiſtat, per quam ſemel factam poſſit anima ſemper ſanctificari, poſſintque omnia prorſus peccata deleri. Quod cum ita ſit, docet nihil opus eſſe hujus ſacrificii repetitione, quin potius ejuſdem repetitionem argumentum fore imbecillitatis & inefficaciæ, uti ex veterum ſacrificiorum repetitione colligitur. Non enim illa juſſa ſunt vel quotidie vel quotannis iterari, ut per eorum oblationem peccatum tandem aliquando auferretur, ſed ut aſſidua fieret peccati profeſſio, & præfiguratio oblationis ſanguinis Chriſti, qua ſola vere peccata tolluntur.

In hac autem utriuſque ſacrificii collatione Apoſtolus loquitur de cruenta Chriſti oblatione, quæ in Cruce perfecta eſt, Nam incruenta, ſive myſtica corporis & ſanguinis Chriſti oblatio, quæ in Miſſa peragitur, ex doctrina Eccleſiæ non parat pretium quo redimantur peccata; ſed applicat pretium unico illo Crucis ſacrificio comparatum nobis ad peccatorum remiſſionem, & ad ſalutares gratias obtinendas. Neque enim Crucis oblatio excludit media, quibus ejus virtus, & effectus hominibus applicetur.

Sicut itaque unicum illud ſacrificium Crucis non tollit vim Baptiſmi, aliorumque Sacramentorum, quibus renovamur, ſanctificamur, & a peccatis abluimur; imo ſicuti non derogat efficaciæ illius oblationis & orationis, qua Chriſtus in Cœlis adhuc continuo ſemetipſum pro nobis Patri ſiſtit & offert, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis; ita nec tollit incruen-

cruentam oblationem ſacrificii Miſſæ, neque virtutem ejus imminuit.

His autem poſitis plana reſponſio eſt ad loca quæ ex Apoſtolo opponuntur. Dum enim textus cap. 7. Chriſto tribuit Sacerdotium ſempiternum, non excludit quotidianum Eccleſiæ ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech, ſed illud potius comprehendit. Nam perpetuum eſt Chriſti Sacerdotium, non ideo tantum quia unica ejus oblatio in Cruce facta quoad efficaciam ſemper durat; ſed ob id quoque, quia Sacerdotium ejus, quatenus eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, in Eccleſia perſeverat, & a Chriſto per miniſtros perſonam ipſius agentes uſque in finem ſeculi exercetur.

Locus autem cap. 8. hunc ſenſum includit: Si Chriſtus non moreretur, non eſſet Sacerdos; jam enim erant alii Sacerdotes, qui hoſtias & animalium ſanguinem ſecundum legem offerrent. Ut igitur Sacerdotio fungeretur, proprium ſanguinem offerre debuit Deo Patri, atque ita mori ipſum oportuit. Neque per hoc tollitur Miſſæ ſacrificium, cujus Sacerdotes non ſuum, ſed alienum ſanguinem offerunt; quia ſanguis cruente ſemel oblatus ex ipſius Chriſti inſtitutione incruente deinceps offertur miniſterio Sacerdotum, idque in oblationis illius cruentæ memoriam.

Rurſum, loca quæ Chriſtum ſemel & non ſæpius ſe obtuliſſe teſtantur, de cruenta oblatione loquuntur, quæ per ſe valet ad omnem ſanctificationem; non de incruenta, quæ vim ſuam omnem trahit a Crucis oblatione, cujus eſt commemoratio.

Denique illius ſententiæ, *Una enim oblatione, &c.*

&c. hic eſt ſenſus; Quotquot omnibus ſeculis ſanctificantur, non niſi per unam illam in Cruce factam oblationem, eamque independentem ſanctificantur; quia videlicet Chriſtus in Cruce opus implevit, cujus virtus omnem ſanctificationis conſummationem perpetuo operatur. Addidimus vocem illam, *independentem*, quia etiamſi ſacrificium quod Chriſtus in Cœna obtulit, omnem afferat ſanctificationem, non tamen independenter a ſacrificio Crucis id efficit. Alterius vero ſententiæ, *Ubi autem horum remiſſio, &c.* ſenſus eſt; Poſt eam oblationem quæ ad omnium peccatorum remiſſionem per ſe efficax eſt, jam non eſt alia ſimilis quærenda oblatio. Nihil tamen vetat aliam quæri, per quam virtus illius hominibus applicetur; ſicuti Sacramenta, & bona opera requiruntur.

Ex dictis apparet, Miſſæ ſacrificium neque Chriſto, neque ſacrificio Crucis injuriam adferre, ſed laudem. Incruentum enim ſacrificium in cruenti commemorationem offertur, atque ut offeratur, Dominus ipſe præcepit. Quis autem aliquem injuria affici dixerit, dum præcipuum ac præſtantiſſimum ejus opus celebratur & colitur, atque executioni mandatur quod ipſe præſcripſerit? Deinde cedit in ſacrificii cruenti laudem quod pretium in eo ſolutum nobis per incruentum ſacrificium applicetur; nempe quemadmodum laudatur Medicus, ejuſque commendatur remedium, quotieſcunque applicatur ægrotis, eiſque ſanitatem impertit. Denique ſacrificium Crucis, & ſacrificium Miſſæ, licet attento oblationis modo diverſa ſint; ſpectato tamen primo ac ſummo Sacerdote, videlicet Chriſto, & conſiderata hoſtia quæ of-

fer-

fertur, ipſius nempe corpore, & ſanguine, idem ſacrificium ſunt, ſive unum eſt alterius applicatio. Unde Synodus Tridentina ſeſſ. 22. c. 2. ait: *Una eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa. Cujus quidem oblationis, cruentæ, inquam, fructus per hanc uberrime percipiuntur: tantum abeſt, ut illi per hanc quovis modo derogetur.*

Objicies 2. Euchariſtia ad hoc inſtituta dumtaxat eſt, ut in commemorationem Dominicæ paſſionis & mortis a Fidelibus ſumeretur. Inſtitutio enim ejus non aliud habet, quam, *Accipite, comedite, bibite*. Nam quod adjungitur, *Hoc facite in meam commemorationem*, Apoſtolus in 1. ad Cor. c. 11. non niſi ad ſumptionem refert, inquiens v. 26. *Quotieſcumque enim manducabitis, &c.* Non igitur uti ſacrificium, vel oblatio inſtituta eſt.

Reſp. ſatis nos ſuperius expoſuiſſe quid per ea verba præcipiatur, *Hoc facite, &c.* Apoſtolus autem non id totum exponit, quod in verbo, *facite*, continetur, ſed ex parte tantum; quod ſatis illi erat, ut Corinthiorum vulgus per epiſtolam erudiret.

Deinde Chriſtus Euchariſtiam inſtituens dixit, Lucæ 22. v. 20. τῦτο τό ποτήριον ἐκχυνόμενον, *Hoc eſt poculum, quod funditur*, quæ verba præſentis ſunt temporis, & referuntur ad calicem pretioſo ſanguine plenum; ideoque fuit in Cœna immolatio, & myſtica ſanguinis effuſio, proindeque vera oblatio, verumque ſacrificium: quod ex eo etiam comprobatur, quia Chriſtus calicem conſecravit ſeorſim a pane, illumque *ſanguinis ſui calicem* appellavit; id enim myſticam ma-

mactationem ſatis evidenter oſtendit.

Huc etiam facit quod Chriſtus in conſecratione panis ait, Lucæ 22. v. 19. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur*, id eſt, offertur. Et licet alibi in futuro dicatur, *tradetur*, ſicut & de ſanguine, *effundetur*; nihil tamen abſurdi inde conſequitur, cum ſit ſenſus: Corpus, quod modo ſub ſpecie panis pro vobis datur, & ſanguis qui pro vobis in calice nunc myſtice funditur, eſt corpus & ſanguis, quod pro vobis tradetur, & qui effundetur in cruce. Hic utrumque in aliena ſpecie offertur; utrumque in ſpecie propria offeretur, dum crucis ſubibo patibulum.

Objicies 3. Hoſtia quæ in ſacrificium offertur, debet occidi: Chriſtus in Euchariſtia non occiditur: ergo in ſacrificium non offertur.

Hinc Patres in celebratione Euchariſtiæ aliud non videntur agnoſcere, quam commemorationem, ſeu repræſentationem unius ſacrificii in cruce completi; eamque myſticam immolationem appellant, ajuntque Chriſtum ibi non vere, ſed in ſacramento dumtaxat, & myſtice immolari. Ita inter alios docet Auguſtinus in epiſt. 98. alias 23. ad Bonifacium, ubi ſcribit ita recte dici Chriſtum immolari quotidie, quomodo recte dicimus Chriſtum quotannis reſurgere; nempe propter rei olim factæ commemorationem. Alibi quoque S. Doctor affirmat, ſacrificium crucis eſſe unicum & ſingulare ſacrificium Chriſtianorum, præter quod aliud omnino non habeant. Lege lib. 7. de C. D. c. 31. lib. 20. contra Fauſtum c. 18. &c.

Opponi præterea poſſunt plura Scripturarum oracula, quæ rejectis legalibus ſacrificiis, ſpiri-

tualia nobis ſacrificia ita commendant, ut ſimpliciter omne ſacrificium externum tollere videantur. Vide Pſal. 49. & 50. Iſaiæ c. 1. & ult. Matth. 9. Joan. 4. &c. & Chryſoſtomum hom. 17. in epiſt. ad Heb.

Reſp. ad 1. In V. T. fuiſſe etiam ſacrificia incruenta, in quibus ſcilicet ſanguis minime fundebatur; uti fuere ſacrificia frugum, utque fuit ſacrificium Melchiſedech, cujus ordinem & ſimilitudinem Euchariſtia conſequitur. Deinde in Miſſa habetur hoſtiæ mactatio, non phyſica quidem, ſeu per realem mortem, ſed myſtica, quæ contingit, ſive per hoc quod Sacerdos ſacramentales ſpecies conſumit; ſive per id potius, quod vi verborum, quibus conſecrantur oblata, ſeparatur ſanguis a corpore, quæ eſt myſtica quædam ſanguinis effuſio; licet per concomitantiam cum ſanguine adſit & corpus, ut alibi dictum eſt. Porro ſufficit ad ſacrificii veritatem, ut ex vi actionis, per quam fit, hoſtiæ ſanguis effundi debeat; licet actu minime effundatur; Deo nimirum impediente, vel ipſo ſtatu hoſtiæ obſiſtente. Unde Chryſoſtomus hom. 63. alias 52. in S. Euſtathium Antiochenum Epiſcopum ait: *Eſt ſacrificium etiam ſine ſanguine: ſciunt illi qui myſteriis initiati ſunt quid dicamus. Propterea & illud*, Iſaaci, *ſacrificium ſine ſanguine perfectum eſt, quoniam hujus figura eſſe debuit.*

Ad 2. Patres immolationis nomine frequenter intelligunt non quamcumque ſacrificii oblationem; ſed occiſionem offerendi cauſa factam; atque hoc ſenſu non veram, ſed myſticam tantum in altari immolationem agnoſcunt, quam nominant incruentam. Sic ab Auguſtino

no & Chryſoſtomo dicitur, ideo immolari Chriſtum in Miſſa, quod ejus paſſio & mors per quandam repræſentationem in illa commemoretur.

Dum autem iidem Patres ſacrificium crucis unicum & ſingulare ſacrificium Chriſtianorum eſſe pronunciant, per antonomaſiam ſacrificium intelligunt, quod propria virtute Deum placat; cujuſmodi non eſt Miſſæ ſacrificium, utpote vim ſuam omnem habens ex ſacrificio in cruce peracto.

Ad 3. Sicut argumentum non concludit contra ſacrificium crucis, ita nec contra ſacrificium Miſſæ, cum utrumque ſenſibile ſit & externum. Commendat autem Scriptura earum rerum oblationem, quæ per ſe Deo ſunt gratæ; cujuſmodi non erant quæ offerebantur in lege, ſed ſpiritus contribulatus, juſtitia, miſericordia, pietas, aliæque virtutes ac virtutum opera; cujuſmodi eſt etiam ſacrificium noſtrum, in quo ſub aſpectabilibus ſymbolis immolatur hoſtia ſalutaris, quæ non videtur, ſed creditur; non jugulatur gladio, ſed immutatur verbis; non dilaniata conſumitur, ſed ſpiritaliter manducatur.

CAPUT II.

In quanam actione eſſentialiter ſacrificium Miſſæ conſiſtat.

SEx potiſſimum actiones diſtingui poſſunt, quæ ad ſacrificium Miſſæ concurrunt. Prima eſt oblatio panis, & vini ante conſecrationem: ſecunda eſt ipſa conſecratio, & tranſmutatio panis in Chriſti corpus, & vini in ſanguinem: tertia eſt oblatio ejuſdem corporis, & ſanguinis conſecrati: quarta eſt fractio, & commixtio Sacramenti: quinta eſt ipſius Sacramenti conſumptio facta a Sacerdote, dum celebrat: ſexta denique eſt diſtributio & ſumptio Sacramenti relate ad fidelem populum qui ad ſacram menſam accedit. Quæſtio itaque inter Scholæ Theologos eſt, in quanam harum actionum ratio ſacrificii Miſſæ præciſe conſiſtat.

Propoſitio 1. Eſſentia ſacrificii Miſſæ reponenda non eſt in oblatione, quæ conſecrationis verba præcedit. Ita fert communis Theologorum aſſertio.

Probatur. Chriſtus quum Euchariſtiam inſtituit, verum ſacrificium celebravit; & tamen ejuſmodi oblationem conſecrationi præmiſiſſe non legitur. Deinde Sacerdos poſt factam oblationem illam ita in Liturgia precatur: *Veni ſanctificator omnipotens æterne Deus, & benedic hoc ſacrificium tuo ſancto nomini præparatum:* Qui-

Quibus profectò verbis oſtenditur, eandem oblationem, uti meram dumtaxat materiæ præparationem, ad futurum Miſſæ ſacrificium pertinere. Denique in divino Miſſæ ſacrificio non creatum aliquid, ſed ipſe Chriſtus offertur: atqui ante conſecrationem non offertur Chriſtus, ſed panis dumtaxat, & vinum.

Propoſitio 2. Oblatio quæ conſecrationem ſequitur, non conſtituit eſſentialem ſacrificii rationem; uti cum quibuſdam aliis contendit Gabriel in 4. d. 13. q. 1. a. 3.

Probatur. Chriſtus Euchariſtiam inſtituens, verum obtulit ſacrificium; & tamen oblationem illam haudquaquam adhibuit, cum legatur ſtatim poſt conſecrationem corpus ſanguinemque ſuum diſtribuiſſe diſcipulis. Nulla inſuper per talem oblationem accidit hoſtiæ immutatio, quæ ad ſacrificii rationem exigitur. Poſtremo Miſſæ ſacrificium principaliter in perſona Chriſti offertur; oblationis autem verba quæ conſecrationi ſuccedunt, non in Chriſti, ſed in miniſtri, totiuſque Eccleſiæ perſona dicuntur, ut ex verbis iſtis apparet: *Unde & memores, Domine, nos ſervi tui &c. offerimus præclaræ Majeſtati tuæ de tuis donis, &c.*

Propoſitio 3. Fractio & commixtio Sacramenti ad ſacrificii eſſentiam pertinere non poteſt: Eſt contra Canum in lib. 12. de locis theolog. c. 13. ad 4.

Ita paſſim Theologi docent cum S. Thoma, qui in p. 3. q. 83. a. 6. ad 6. ait, *quod fractio hoſtiæ conſecratæ, & quod una ſola pars mittatur in calicem, reſpicit corpus myſticum, ſicut admixtio aquæ ſignificat populum. Et ideo horum prætermiſſio non facit imperfectionem ſacrificii.*

cii, ut propter hoc ſit neceſſe aliquid reiterare circa celebrationem hujus ſacramenti. Etiam S. Bonaventura non ſacrificii ſubſtantiam, ſed myſterium tantum in fractione, & commixtione contineri ſignificat, inquiens in 4. d. 12. p. 1. a. 3. q. 3. *Ipſa fractio ſignat paſſionem, ſed partes ipſæ ſignant partes corporis Chriſti myſtici. Et quia partes in corpore Chriſti myſtico ſunt in triplici differentia; quidam enim regnant in Paradiſo, quidam ſecuri expectant in ſepulcro, quidam autem pugnant in merito; ideo tantum tres partes fiunt in hoc ſacramento.*

Hinc omitti fractio poſſet, integro adhuc ſacrificio permanente. Si enim dum Sacerdos cum pane conſecrato ſuper calicem ſignum crucis efformat, idem panis laberetur in calicem, & amplius frangi non poſſet; nemo ſacrificium irritum, aut eſſentialiter immutatum aſſereret. Denique etſi Chriſtus panem fregerit, non tamen ad ſacrificium celebrandum, ſed ad diſtribuendum Apoſtolis: neque ille poſt fractionem vino panem immiſcuit, ſed ad manducandum Apoſtolis immediate porrexit.

Propoſitio 4. Ad ſacrificii eſſentiam non ſpectat diſtributio, neque conſumptio Sacramenti quæ fit a populo. Eſt communis.

Probatur. Tota ſacrificandi actio quæ eſſentialis eſt ſacrificio, immediate a Sacerdote facienda eſt: at diſtributio fieri per Diaconum poteſt neceſſitate premente, & conſumptio fit a populo: neutra itaque ad ſacrificii ſpectat eſſentiam. Deinde licet in Miſſa nemo ex plebe communicet, ſacrificium nulla ſui eſſentiali, vel integrali parte fruſtratur.

Propoſitio 5. Sola conſecratio eſſentialiter ſacri-

crificium Miſſæ conſtituit: ad ejus tamen integritatem pertinet etiam conſumptio Sacramenti a Sacerdote peracta. Ita paſſim Scotiſtæ, aliique complures.

Probatur 1. pars. Miſſæ ſacrificium eſſentialiter in ea actione conſiſtit, quam ſolam in Chriſti perſona Sacerdos exequitur: (in hoc enim ſacrificio ſicuti Chriſtus eſt hoſtia, ita eſt & offerens principalis) atqui ſola conſecratio ejuſmodi eſt; cum in ea ſola. Sacerdos Chriſti nomine & vice loquatur, quum ait, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*. Unde Chryſoſtomus hom. de proditione Judæ inquit: *Vox illa*, Hoc eſt corpus meum, *uſque ad ejus adventum præſtat ſacrificio firmitatem*. Et Ambroſius in Pſal. 38. n. 25. *Ipſe Chriſtus offerre manifeſtatur in nobis, cujus ſermo ſanctificat ſacrificium quod offertur*: de quo legendus eſt S. Doctor etiam in lib. 4. de Sacram. c. 4. & 5. Denique Auctor ſerm. de Cœna Domini ait: *Ex quo a Domino dictum eſt*, Hæc eſt caro mea, & Hic eſt ſanguis meus, *quotieſcunque his verbis*, *& hac fide actum eſt*, *panis iſte ſuperſubſtantialis*, *& calix benedictione ſolemni ſacratus ad totius hominis vitam*, *ſalutemque proficit*, *ſimul medicamentum*, *& holocauſtum ad ſanandas infirmitates*, *& purgandas iniquitates*.

Accedit huc inſuper, quod ſacrificii deſcriptio, & myſtica Chriſti immolatio, de qua ſuperiori in capite diximus, non niſi conſecrationi conveniat. Per hanc enim Chriſtus præſens in altari ſtatuitur, ac veluti per ſpiritualem quendam gladium in diſtinctis ſeparatiſque ſpeciebus, quæ ſenſibiles ſunt, ritu myſtico im-

mutatur, & Deo Patri per legitimum Sacerdotem offertur.

Probatur 2. pars. Quamvis allata ſacrificii definitio conſumptioni a Sacerdote factæ non competat; ipſa tamen ſacrificii integritas requirit, ut hoſtia, ſaltem quoad aliquam ſui partem, a ſacrificante ſumatur. Præclare Doctor Angel. in 3. p. q. 82. a. 4. inquit: *Quicumque ſacrificium offert, debet ſacrificii fieri particeps, quia exterius ſacrificium quod offertur, ſignum eſt interioris ſacrificii, quo quis ſeipſum offert Deo, ut Auguſtinus dicit lib. 10. de C. D. c. 5. Unde per hoc quod participat ſacrificio, oſtendit ad ſe ſacrificium interius pertinere. Similiter etiam per hoc quod ſacrificium populo diſpenſat, oſtendit ſe eſſe diſpenſatorem divinorum, quorum ipſe primo debet eſſe particeps, ſicut Dionyſius dicit in lib. Eccl. Hierarch. c. 3. Et ideo ipſe ante ſumere debet, quam populo diſpenſet: Unde in can. 5. Concilii Toletani* XII. *legitur:* Quale eſt ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur? *Per hoc autem fit particeps, quod de ſacrificio ſumit, ſecundum illud Apoſtoli* 1. *Cor.* 10. Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? *Et ideo neceſſe eſt, quod Sacerdos, quotieſcumque conſecrat, ſumat integre hoc ſacramentum.*

Tandem Eccleſia conſumptionem a Sacerdote faciendam ita neceſſariam ad ſacrificii integritatem ac complementum exiſtimat, ut ſi forte Sacerdos celebrans ante conſumptionem moriatur, vel alio modo a conſumptione impediatur, oporteat, Sacerdotem alium, etiam non jejunum, illi ſuccedere, & ſacrificium conſummare. Ita præcipitur in Rubricis Miſſa-

ſalis, ubi *de defectibus in celebratione Miſſarum occurrentibus* pertractatur §. 10. n. 3.

Objicies 1. contra 1. & 2. propoſ. Sacrificium eſt eſſentialiter oblatio facta Deo; & Chriſtus Apoſtolis præcepit, nedum ut conſecrarent, verum etiam ut offerrent: itaque ad ſacrificii eſſentiam ſpectat oblatio; præſertim cum in Græcis Latiniſque Liturgiis utraque oblatio præſcripta legatur.

Reſp. ad eſſentiam quidem ſacrificii pertinere oblationem, non tamen illam, quæ verbis exprimitur, ſed quæ ipſa actione peragitur; ſive, uti, Schola loquitur, *in actu exercito*, non *in actu ſignato*. Sicut enim ut aliquem honoremus, non neceſſe eſt dicere, *Honoro te*; ita ut alicui quidpiam offeramus, dicere non oportet, *Offero tibi*; ſed ſolum, quod reipſa exhibeatur honor, ac perficiatur oblatio: id vero in ipſa conſecratione contingit, in qua Chriſti ſanguis exhibetur, ut ſeparatus a corpore, myſtice mactatur, & immolatur: & ideo in ea ſeparata conſecratione ratio ſacrificii, & oblatio eſſentialiter reponenda eſt. Nam eodem ferme pacto ipſa mactatio victimarum in V. T. erat oblatio ſacrificii, etſi forte Sacerdos expreſſa voce non dixerit, *Macto*, *ſacrifico*, *offero*.

In Liturgiis autem variæ præſcribuntur orationes, quæ licet ad ſacrificii eſſentiam non pertineant; tamen aut ad conſecrationem præparant, aut explicant jam peractam. Priori oblatione panis, & vinum ex profanis ſacra fiunt; ſecernuntur enim ad conſecrationem: poſteriori vero oblatione petit Eccleſia, ut conſecrata Fidelibus proſint.

Ob-

Objicies 2. contra ult. propoſ. In die Paraſceves verum offertur ſacrificium, ut apparet ex verbis illis, quæ eo etiam die a Sacerdote dicuntur: *Sic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus*. Et deinde: *Orate fratres, ut meum ac veſtrum ſacrificium*, &c. Atqui Sacerdos eo die non conſecrat, ſed hoſtiam ſumit pridie conſecratam. Ergo ratio ſacrificii eſſentialiter in ſola ſumptione conſiſtit.

Reſp. non novum ea die perfici ſacrificium, ſed jam perfectum offerri, ut Chriſti corpus quod pridie in ſacrificium fuit oblatum, fiat ſacrificium Sacerdoti & populo, quatenus fructum ex eo percipiant. Quapropter eodem modo accipienda videntur objecta Liturgiæ verba, ac ea alia quæ in 2. propoſ. citavimus: *Unde & memores, Domine, &c.*

Hic tandem advertimus, utriuſque ſpeciei conſecrationem ad ſacrificii integritatem divino jure ſpectare. Nam Chriſtus Sacramentum iſtud inſtituens, Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus injunxit, ut facerent quod ipſe fecit: *Hoc facite, &c.* Atqui Evangeliſtæ teſtantur, Chriſtum, quum in ultima cœna ſacrificium obtulit, utramque ſpeciem conſecraſſe. Relege Tridentini Concilii verba inter probationes adducta in capite præcedente. Ex quo patet, quod cum R. Pontifex in iis quæ ad divinum jus pertinent, diſpenſare non poſſit; neque permittere poſſit, ut ullo in caſu cum una tantum ſpecie ſacrificium offeratur. H c inter alios legendus eſt Berti *adnotat. in c. 6. lib.* 33.

Quidam vero Theologi ſentiunt; conſecratio-

tionem ſub utraque ſpecie ad eſſentiam ſacrificii minime pertinere; quod colligunt ex Cypriani epiſt. 63. ad Cæcilium, ubi redarguuntur quidam Presbyteri, qui in matutinis ſacrificiis gentilium metu vinum minime conſecrabant; non tamen ejuſmodi ſacrificia dicuntur irrita, ſed potius ignorantia & ſimplicitas in Presbyteris excuſatur. Præterea ad eſſentiam ſacrificii ſatis eſſe videtur, ut ſaltem imperfecte Chriſti mors exhibeatur, ſicut in unius ſpeciei conſecratione exhibetur. Nam vi verborum conſecrationis ſuper pane præſens fit ſolum corpus, non ſanguis; & ex vi verborum ſuper vino ſolus ſanguis, non corpus accedit.

Ex dictis infertur, eandem eſſe actionem, qua Sacramentum Euchariſtiæ conficitur, & qua Miſſæ ſacrificium celebratur; conſecrationem nempe verbis illis effectam, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*. Idem quoque in hoc Sacramento, & ſacrificio eſt terminus actionis; Chriſtus nempe ſub panis, vinique ſpeciebus exiſtens. Sacrificii tamen eſſentia ab eſſentia Sacramenti diſtinguitur, 1. quia eſſentia ſacrificii partim in actione ſacrificandi, partim in victima immolata & oblata conſiſtit: at eſſentia Sacramenti Euchariſtiæ nullo modo conſiſtit in actione, ſed in ſola re permanente, quæ actioni ſuccedit: 2. quia ſacrificium ad Dei cultum, Sacramentum vero ad ſanctificationem noſtram primario & immediate refertur.

CAP.

CAPUT III.

Oſtendit Miſſæ ſacrificium eſſe propitiatorium; aſſignatque cauſas & perſonas, pro quibus eſt offerendum.

MUltiplex a Theologis ſacrificii diviſio traditur, ac illa præſertim quæ ex fine depromitur, ipſumque ſacrificium diſtinguit in *Latreuticum*, quod ad Dei obſequium ſpectat, ita vocatum a λατρεύω, *ſervio*, *colo*; & in *Euchariſticum*, quod in gratiarum actionem offertur, ſic dictum ab ευχαριϛέω, *gratias ago*; & in *Impetratorium* oblatum pro beneficiis obtinendis; ac tandem in *Propitiatorium*, quod pro remittendis peccatis, aut pœnis, ſuppliciiſque peccato debitis exhibetur.

Novatores fatentur utique ſacrificium noſtrum dici poſſe latreuticum, & euchariſticum; negant tamen impetratorium illud eſſe, & propitiatorium: quamvis, ut ſuperius dictum eſt, revera nullum ſacrificium proprie dictum admittant, quia nullam oblationem Deo factam agnoſcunt; ac tantum affirment in Euchariſtia laudari Deum, eidemque grates exſolvi. Catholici vero certa fide defendunt valere plurimum Euchariſtiæ ſacrificium etiam ad remiſſionem, aliaque beneficia impetranda: unde conſequitur jure meritoque non ſolum offerri pro

pro conſcientiarum conſolatione , & gratiarum actione , ſeu laude , ut in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ ſcripſerunt hæretici ; verum etiam pro aliis, tam viventibus, quam defunctis, quibus poteſt Chriſti paſſio applicari.

Propoſitio 1. Incruentum Miſſæ ſacrificium eſt vere propitiatorium, & impetratorium.

Probatur. Miſſæ ſacrificium eſt idem cum ſacrificio, quod in ultima cœna Chriſtus obtulit: atqui ſacrificium illud propitiatorium vere fuit, dicente Chriſto Matth. 26. v. 28. *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur*, Græce *effunditur*, *in remiſſionem peccatorum*. Et Lucæ 22. v. 20. *Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur*, Græce *funditur*: de qua temporis diverſitate lege quæ diximus in præced. cap. ad 2. objectionem.

Idem Catholicum dogma ex Patrum traditione deducitur. Cyrillus Jeroſol. in Catech. 5. myſtag. Euchariſtiam appellat *hoſtiam propitiationis, ſuper qua obſecramus Deum pro communi Eccleſiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro ſociis, pro ægrotis & afflictis, & in ſumma, pro omnibus qui egent auxilio*; additque: *Chriſtum pro noſtris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis & illis eum, qui eſt benigniſſimus, propitium reddamus*. Chryſoſtomus in lib. 6. de Sacerd. c. 4. ait Sacerdotem, qui juge ſacrificium offert, *legatum & deprecatorem eſſe apud Deum, ut propitius fiat omnium peccatis, non viventium modo, verum & mortuorum*. Ambroſius in exhortat. ad Virgines c. 14. ſacrificium, quod in templis offertur, vocat *hoſtiam ſalutarem, per quam*

quam peccatum mundi hujus abol.tur. Hieronymus in c. 1. epiſt. ad Titum de Epiſcopo ſcribit, *Qui quotidie pro ſuis populique peccatis illibatas Deo oblaturus eſt victimas*. Denique Auguſtinus in Enchir. c. 110. de ſacrificiis altaris inquit: *Pro valde bonis actiones gratiarum ſunt, pro non valde malis* (loquitur de defunctis) *propitiationes ſunt*.

Accedit & ratio. Nam Chriſtiani non minus egent remiſſione peccatorum, aliiſque divinis beneficiis, quam Judæi. Decebat inſuper ſacrificium novæ legis non eſſe minoris efficaciæ, quam ſacrificia veteris legis, quæ propitiatoria & impetratoria fuiſſe conſtat ex Lev. 1. v. 2. Job 1. v. 5. & c. ult. v. 8. item ex 2. Regum ult. v. 18. & 1. Eſdræ 6. v. 10. & 2. Machab. 3. v. 32. Ergo noſtrum quoque ſacrificium vere propitiatorium eſt, & impetratorium. Hinc appoſite S. Auguſtinus q. 57. in Levit. n. 4. ait: *Illis ſacrificiis unum hoc ſacrificium ſignificabatur, in quo vera fit remiſſio peccatorum*.

Præterea, præcipuum Sacerdotis officium eſt offerre ſacrificium pro peccatis, *Omnis Pontifex*, inquit Apoſtolus ad Hebr. 5. v. 1. *ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis*. Atqui ſacrificium quod pro peccatis offertur, vere eſt propitiatorium.

Jure ergo meritoque Synodus Tridentina ſeſſ. 22. can. 3. ita decrevit: *Si quis dixerit Miſſæ ſacrificium tantum eſſe laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel ſoli prodeſſe ſumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis*

ne-

neceſſitatibus offerri debere; anathema ſit.

Propoſitio 2. Miſſæ ſacrificium offerri poteſt pro omnibus mortalem vitam agentibus.

Probatur tum ex dictis, tum quod Paulus in epiſt. 1. ad Tim. c. 2. v. 1. & ſeq. moneat *fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus: pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt... Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, &c. Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus:* Ex quibus Apoſtoli verbis argumentum iſtud eruitur: Pro illis offerri poteſt ſacrificium Miſſæ, quos Deus vult ſalvos fieri, & pro quibus Chriſtus ſeipſum obtulit in ſacrificio crucis, cujus ſacrificium Miſſæ commemoratio eſt. Atqui Deus vult omnes ſinguloſque homines ſalvos fieri, ac pro iiſdem Chriſtus in cruce mortem obivit. Lege quæ diximus in lib. 5. c. 7. & in lib. 20. c. 4.

Olim quoque in veteri lege oblatum fuiſſe pro infidelibus ſacrificium Scripturæ teſtantur. Ita de Nabuchodonoſore, & filiis ejus, aliiſque legitur in libris Baruch, & Eſdræ: de Spartiatis idem conſtat ex 1. Machab. 12., & de Heliodoro ex 2. Machab. 3.

Præterea S. Auguſtinus in epiſt. 217. alias 107. ad Vitalem c. 1. ſcribit: *Exere contra orationes Eccleſiæ diſputationes tuas; & quando audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, ut Deus eos convertat ad fidem; & pro Catechumenis, ut eis deſiderium regenerationis inſpiret; & pro fidelibus,*

us, ut in eo quod eſſe cœperunt, ejus munere perſeverent: ſubſanna pias voces, & dic, te non facere quod hortatur, id eſt, Deum pro infidelibus, ut eos fideles faciat, non rogare. Ex quo patet Auguſtini ætate conſuetudinem viguiſſe orandi ad altare non pro fidelibus tantum, ſed & pro catechumenis, ac infidelibus; ſicuti modo etiam in ſancto Paraſceves die pro omnibus precatur Eccleſia.

Circa excommunicatos autem ſpeciatim advertimus, quod pro eis ſacrificium *nominatim & publica oblatione* offerre non liceat, uti conſtat ex cap. *A nobis*, de ſent. excommunic. n. 28. & ex cap. *Sacris*, eodem titulo n. 38. Licet tamen privatim pro eiſdem orare, ut ad unitatem, communionemque fidelium revertantur, uti docent graviſſimi Theologi, Gotti, Berti, aliique. Qui vero oppoſitum cenſent, loqui videntur de oblatione facta pro Eccleſia ejuſque membris; cujus excommunicati nequeunt eſſe participes, ſi ſint vitandi, neque ab eadem Eccleſia tolerentur.

Propoſitio 3. Idem ſacrificium pie offertur pro defunctis, qui purgatorio igne torquentur.

Probatur. Opera ad charitatem pertinentia proſunt eis, qui in charitate communicant, & charitate quaſi vinculo colligantur. Atqui, ut recte ait S. Thomas in ſuppl. 3. p. q. 71. a. 9. *ad charitatem Sacramentum Euchariſtiæ præcipue pertinet; cum ſit Sacramentum Eccleſiaſticæ unionis continens illum, in quo tota Eccleſia unitur, & conſolidatur, ſcilicet Chriſtum: unde Euchariſtia eſt quaſi quædam charitatis origo, vel vinculum.* Ergo Euchariſtiæ ſacrificium pie pro defunctis offertur qui ad purgantem ſpe-

ſtant

ctant Eccleſiam. Unde Cyrillus in laudata Catecheſi ait: *Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi ſunt, maximum eſſe credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio ſancti illius, & tremendi, quod in altari poſitum eſt, ſacrificii*. Id etiam Patres alii communi ſententia docuerunt. Recolenda hic ſunt quæ diximus in lib. 22. c. 1. & 5. de Purgatorio diſputantes.

Propoſitio 4. Non licet Miſſæ ſacrificium pro damnatis offerre.

Probatur. Offerri non poteſt ſacrificium Miſſæ pro illis, qui in æternum a Chriſti corpore ſegregati, nullum valent ex Dominica paſſione fructum conſequi, neque ad peccatorum remiſſionem, neque ad condonationem, levamenve pœnarum. Atqui damnati in æternum a Chriſti corpore ſegregati ſunt, &c. ergo, &c. Lege quæ diximus lib. 21. c. 6. & c. 7. dub. 10. necnon quæ docet Auguſtinus lib. 21. de C. D. c. 24.

Propoſitio 5. Licet pro Sanctis in Cœlo regnantibus offerre ſacrificium, quatenus illud Euchariſticum eſt pro eis, propitiatorium vero & impetratorium pro nobis.

Probatur. Dum in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Miſſas Eccleſia celebrat, *de illorum victoriis gratias Deo agit, eorumque patrocinia implorat; ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris*: inquit Tridentina Synodus ſeſſ. 22. cap. 3. Ergo ſacrificium Deo pro Sanctis oblatum, eſt Euchariſticum relate ad illos, pro quorum glorificatione ac triumpho gratiæ Deo redduntur; propitiatorium vero eſt dum-

quem Chriſtus ſua morte promeruit; & Deo gratias agimus de illorum victoriis, quas per Chriſti gratiam reportarunt.

Ad 3. Sanctorum merita ac preces, quas in ſacrificio imploramus, meritis Chriſti detrahere nequeunt, ex quibus illa omne pretium valoremque ſuum mutuantur, & trahunt. Neque magis Sanctorum invocatio, & interceſſio dignitati ac virtuti ſacrificii nocet, quam cum Sacerdos a Deo poſtulat, ut ſacrificii fructum ſibi, & aliis applicare, ſeu communicare dignetur. Lege quæ ſcripſimus lib. 20. c. 3.

Notamus hic ultimo, ſacrificium relate ad Sanctos appellari non poſſe vere proprieque *impetratorium*, quamvis majorem eis in Eccleſia cultum, & accidentalem gloriam adprecemur. Id enim non eſt proprie aliquid impetrare pro Sanctis, ſed potius impetrare nobis gratiam, ut eos digno proſequamur honore. Qua de re inquit S. Bonaventura in 4. d. 45. dub. 5. *Cum hoc petimus, non ipſis Sanctis petimus, ſed petimus nobis, ut nobis innoteſcat eorum virtus perfecta, & detur affectio bona ad laudem divinam, ſive ipſorum*. Conſonat S. Thomas in 4. d. 45. q. 2. a. 2. q. 3. ad 1. inquiens, *Sanctos in gloriam non proficere quantum ad ſe, quod eorum feſta recolimus; ſed nobis proficere, qui eorum gloriam ſolemnius celebramus: ſicut ex hoc quod Deum cognoſcimus vel laudamus, ſic quodammodo Dei gloria in nobis creſcit, nihil Deo, ſed nobis accreſcit.*

CA-

CAPUT IV.

De Miſſis, *quæ vulgo* privatæ *dicuntur*.

RECte Theologi poſt Synodum Tridentinam ſeſſ. 22. cap. 6. docent, Miſſam nunquam proprie loquendo *privatam* dici poſſe, ſed quamlibet eſſe communem & publicam; cum in ea ſemper a publico legitimoque Eccleſiæ miniſtro ſacrificium offeratur in commemorationem mortis Chriſti, quæ publicum eſt beneficium; neque Miſſæ ullæ ab eodem miniſtro *pro ſe tantum*, *ſed pro omnibus fidelibus*, *qui ad corpus Chriſti pertinent*, *celebrentur*. Uſus tamen invaluit, ut Miſſæ quædam *privatæ* dicantur, in quibus ſolus Sacerdos *ſacramentaliter* communicat, & quæ vel aguntur abſque publico conventu populique frequentia, vel a Presbytero celebrantur abſque ſacrorum miniſtrorum, clericorumque comitatu.

Ejuſcemodi Miſſas, quæ etiam *ſolitariæ*, *peculiareſque* dicuntur, duce Luthero communiter improbant Novatores, reſpuuntque tanquam Chriſti inſtitutioni, & antiquæ Eccleſiæ praxi contrarias. Cum enim veri ſacrificii oblationem denegent, eo tantum fine inſtitutam Miſſam affirmant, ut Sacramentum petentibus porrigatur: illas proinde Miſſas damnant, in quibus non miniſtratur communio, ceteraſque omnes, præter unam communem publicamque,

 ſer-

Objicies 2. contra ult. propoſ. In die Paraſceves verum offertur ſacrificium, ut apparet ex verbis illis, quæ eo etiam die a Sacerdote dicuntur: *Sic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.* Et deinde: *Orate fratres, ut meum ac veſtrum ſacrificium*, &c. Atqui Sacerdos eo die non conſecrat, ſed hoſtiam ſumit pridie conſecratam. Ergo ratio ſacrificii eſſentialiter in ſola ſumptione conſiſtit.

Reſp. non novum ea die perfici ſacrificium, ſed jam perfectum offerri, ut Chriſti corpus quod pridie in ſacrificium fuit oblatum, fiat ſacrificium Sacerdoti & populo, quatenus fructum ex eo percipiant. Quapropter eodem modo accipienda videntur objecta Liturgiæ verba, ac ea alia quæ in 2. propoſ. citavimus: *Unde & memores, Domine, &c.*

Hic tandem advertimus, utriuſque ſpeciei conſecrationem ad ſacrificii integritatem divino jure ſpectare. Nam Chriſtus Sacramentum iſtud inſtituens, Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus injunxit, ut facerent quod ipſe fecit: *Hoc facite, &c.* Atqui Evangeliſtæ teſtantur, Chriſtum, quum in ultima cœna ſacrificium obtulit, utramque ſpeciem conſecraſſe. Relege Tridentini Concilii verba inter probationes adducta in capite præcedente. Ex quo patet, quod cum R. Pontifex in iis quæ ad divinum jus pertinent, diſpenſare non poſſit; neque permittere poſſit, ut ullo in caſu cum una tantum ſpecie ſacrificium offeratur. H c inter alios legendus eſt Berti *adnotat. in c. 6. lib.* 33.

Quidam vero Theologi ſentiunt, conſecratio-

tionem ſub utraque ſpecie ad eſſentiam ſacrificii minime pertinere; quod colligunt ex Cypriani epiſt. 63. ad Cæcilium, ubi redarguuntur quidam Presbyteri, qui in matutinis ſacrificiis gentilium metu vinum minime conſecrabant; non tamen ejuſmodi ſacrificia dicuntur irrita, ſed potius ignorantia & ſimplicitas in Presbyteris excuſatur. Præterea ad eſſentiam ſacrificii ſatis eſſe videtur, ut ſaltem imperfecte Chriſti mors exhibeatur, ſicut in unius ſpeciei conſecratione exhibetur. Nam vi verborum conſecrationis ſuper pane præſens fit ſolum corpus, non ſanguis; & ex vi verborum ſuper vino ſolus ſanguis, non corpus accedit.

Ex dictis infertur, eandem eſſe actionem, qua Sacramentum Euchariſtiæ conficitur, & qua Miſſæ ſacrificium celebratur; conſecrationem nempe verbis illis effectam, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*. Idem quoque in hoc Sacramento, & ſacrificio eſt terminus actionis; Chriſtus nempe ſub panis, vinique ſpeciebus exiſtens. Sacrificii tamen eſſentia ab eſſentia Sacramenti diſtinguitur, 1. quia eſſentia ſacrificii partim in actione ſacrificandi, partim in victima immolata & oblata conſiſtit: at eſſentia Sacramenti Euchariſtiæ nullo modo conſiſtit in actione, ſed in ſola re permanente, quæ actioni ſuccedit: 2. quia ſacrificium ad Dei cultum, Sacramentum vero ad ſanctificationem noſtram primario & immediate refertur.

CAP.

CAPUT III.

Oſtendit Miſſæ ſacrificium eſſe propitiatorium; aſſignatque cauſas & perſonas, pro quibus eſt offerendum.

MUltiplex a Theologis ſacrificii diviſio traditur, ac illa præſertim quæ ex fine depromitur, ipſumque ſacrificium diſtinguit in *Latreuticum*, quod ad Dei obſequium ſpectat, ita vocatum a λατρεύω, *ſervio*, *colo*; & in *Euchariſticum*, quod in gratiarum actionem offertur, ſic dictum ab ευχαριστέω, *gratias ago*; & in *Impetratorium* oblatum pro beneficiis obtinendis; ac tandem in *Propitiatorium*, quod pro remittendis peccatis, aut pœnis, ſuppliciiſque peccato debitis exhibetur.

Novatores fatentur utique ſacrificium noſtrum dici poſſe latreuticum, & euchariſticum; negant tamen impetratorium illud eſſe, & propitiatorium: quamvis, ut ſuperius dictum eſt, revera nullum ſacrificium proprie dictum admittant, quia nullam oblationem Deo factam agnoſcunt; ac tantum affirment in Euchariſtia laudari Deum, eidemque grates exſolvi. Catholici vero certa fide defendunt valere plurimum Euchariſtiæ ſacrificium etiam ad remiſſionem, aliaque beneficia impetranda: unde conſequitur jure meritoque non ſolum offerri

pro conſcientiarum conſolatione, & gratiarum actione, ſeu laude, ut in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ ſcripſerunt hæretici; verum etiam pro aliis, tam viventibus, quam defunctis, quibus poteſt Chriſti paſſio applicari.

Propoſitio 1. Incruentum Miſſæ ſacrificium eſt vere propitiatorium, & impetratorium.

Probatur. Miſſæ ſacrificium eſt idem cum ſacrificio, quod in ultima cœna Chriſtus obtulit: atqui ſacrificium illud propitiatorium vere fuit, dicente Chriſto Matth. 26. v. 28. *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur*, Græce *effunditur*, *in remiſſionem peccatorum*. Et Lucæ 22. v. 20. *Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur*, Græce *funditur*: de qua temporis diverſitate lege quæ diximus in præced. cap. ad 2. objectionem.

Idem Catholicum dogma ex Patrum traditione deducitur. Cyrillus Jeroſol. in Catech. 5. myſtag. Euchariſtiam appellat *hoſtiam propitiationis, ſuper qua obſecramus Deum pro communi Eccleſiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro ſociis, pro ægrotis & afflictis, & in ſumma, pro omnibus qui egent auxilio*; additque: *Chriſtum pro noſtris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis & illis eum, qui eſt benigniſſimus, propitium reddamus*. Chryſoſtomus in lib. 6. de Sacerd. c. 4. ait Sacerdotem, qui juge ſacrificium offert, *legatum & deprecatorem eſſe apud Deum, ut propitius fiat omnium peccatis, non viventium modo, verum & mortuorum*. Ambroſius in exhortat. ad Virgines c. 14. ſacrificium, quod in templis offertur, vocat *hoſtiam ſalutarem, per quam*

quam peccatum mundi hujus aboletur. Hieronymus in c. 1. epiſt. ad Titum de Epiſcopo ſcribit, *Qui quotidie pro ſuis populique peccatis illibatas Deo oblaturus eſt victimas*. Denique Auguſtinus in Enchir. c. 110. de ſacrificiis altaris inquit: *Pro valde bonis actiones gratiarum ſunt, pro non valde malis* (loquitur de defunctis) *propitiationes ſunt*.

Accedit & ratio. Nam Chriſtiani non minus egent remiſſione peccatorum, aliiſque divinis beneficiis, quam Judæi. Decebat inſuper ſacrificium novæ legis non eſſe minoris efficaciæ, quam ſacrificia veteris legis, quæ propitiatoria & impetratoria fuiſſe conſtat ex Lev. 1. v. 2. Job 1. v. 5. & c. ult. v. 8. item ex 2. Regum ult. v. 18. & 1. Eſdræ 6. v. 10. & 2. Machab. 3. v. 32. Ergo noſtrum quoque ſacrificium vere propitiatorium eſt, & impetratorium. Hinc appoſite S. Auguſtinus q. 57. in Levit. n. 4. ait: *Illis ſacrificiis unum hoc ſacrificium ſignificabatur, in quo vera fit remiſſio peccatorum*.

Præterea, præcipuum Sacerdotis officium eſt offerre ſacrificium pro peccatis, *Omnis Pontifex*, inquit Apoſtolus ad Hebr. 5. v. 1. *ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis*. Atqui ſacrificium quod pro peccatis offertur, vere eſt propitiatorium.

Jure ergo meritoque Synodus Tridentina ſeſſ. 22. can. 3. ita decrevit: *Si quis dixerit Miſſæ ſacrificium tantum eſſe laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel ſoli prodeſſe ſumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis ne-*

neceſſitatibus offerri debere ; anathema ſit.

Propoſitio 2. Miſſæ ſacrificium offerri poteſt pro omnibus mortalem vitam agentibus.

Probatur tum ex dictis, tum quod Paulus in epiſt. 1. ad Tim. c. 2. v. 1. & ſeq. moneat *fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus: pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt... Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, &c. Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus:* Ex quibus Apoſtoli verbis argumentum iſtud eruitur: Pro illis offerri poteſt ſacrificium Miſſæ, quos Deus vult ſalvos fieri, & pro quibus Chriſtus ſeipſum obtulit in ſacrificio crucis, cujus ſacrificium Miſſæ commemoratio eſt. Atqui Deus vult omnes ſingulosque homines ſalvos fieri, ac pro iiſdem Chriſtus in cruce mortem obivit. Lege quæ diximus in lib. 5. c. 7. & in lib. 20. c. 4.

Olim quoque in veteri lege oblatum fuiſſe pro infidelibus ſacrificium Scripturæ teſtantur. Ita de Nabuchodonoſore, & filiis ejus, aliiſque legitur in libris Baruch, & Eſdræ: de Spartiatis idem conſtat ex 1. Machab. 12., & de Heliodoro ex 2. Machab. 3.

Præterea S. Auguſtinus in epiſt. 217. alias 107. ad Vitalem c. 1. ſcribit: *Exere contra orationes Eccleſiæ diſputationes tuas; & quando audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, ut Deus eos convertat ad fidem; & pro Catechumenis, ut eis deſiderium regenerationis inſpiret; & pro fidelibus,*

us, ut in eo quod eſſe cœperunt, ejus munere perſeverent: ſubſanna pias voces, & dic, te non facere quod hortatur, id eſt, Deum pro infidelibus, ut eos fideles faciat, non rogare. Ex quo patet Auguſtini ætate conſuetudinem viguiſſe orandi ad altare non pro fidelibus tantum, ſed & pro catechumenis, ac infidelibus; ſicuti modo etiam in ſancto Paraſceves die pro omnibus precatur Eccleſia.

Circa excommunicatos autem ſpeciatim advertimus, quod pro eis ſacrificium *nominatim* & *publica oblatione* offerre non liceat, uti conſtat ex cap. *A nobis*, de ſent. excommunic. n. 28. & ex cap. *Sacris*, eodem titulo n. 38. Licet tamen privatim pro eiſdem orare, ut ad unitatem, communionemque fidelium revertantur, uti docent graviſſimi Theologi, Gotti, Berti, aliique. Qui vero oppoſitum cenſent, loqui videntur de oblatione facta pro Eccleſia ejuſque membris; cujus excommunicati nequeunt eſſe participes, ſi ſint vitandi, neque ab eadem Eccleſia tolerentur.

Propoſitio 3. Idem ſacrificium pie offertur pro defunctis, qui purgatorio igne torquentur.

Probatur. Opera ad charitatem pertinentia proſunt eis, qui in charitate communicant, & charitate quaſi vinculo colligantur. Atqui, ut recte ait S. Thomas in ſuppl. 3. p. q. 71. a. 9. *ad charitatem Sacramentum Euchariſtiæ præcipue pertinet; cum ſit Sacramentum Eccleſiaſticæ unionis continens illum, in quo tota Eccleſia unitur, & conſolidatur, ſcilicet Chriſtum: unde Euchariſtia eſt quaſi quædam charitatis origo, vel vinculum*. Ergo Euchariſtiæ ſacrificium pie pro defunctis offertur qui ad purgantem ſpe-

ctant

ctant Eccleſiam. Unde Cyrillus in laudata Catecheſi ait: *Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi ſunt, maximum eſſe credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio ſancti illius, & tremendi, quod in altari poſitum eſt, ſacrificii*. Id etiam Patres alii communi ſententia docuerunt. Recolenda hic ſunt quæ diximus in lib. 22. c. 1. & 5. de Purgatorio diſputantes.

Propoſitio 4. Non licet Miſſæ ſacrificium pro damnatis offerre.

Probatur. Offerri non poteſt ſacrificium Miſſæ pro illis, qui in æternum a Chriſti corpore ſegregati, nullum valent ex Dominica paſſione fructum conſequi, neque ad peccatorum remiſſionem, neque ad condonationem, levamenve pœnarum. Atqui damnati in æternum a Chriſti corpore ſegregati ſunt, &c. ergo, &c. Lege quæ diximus lib. 21. c. 6. & c. 7. dub. 10. necnon quæ docet Auguſtinus lib. 21. de C. D. c. 24.

Propoſitio 5. Licet pro Sanctis in Cœlo regnantibus offerre ſacrificium, quatenus illud Euchariſticum eſt pro eis, propitiatorium vero & impetratorium pro nobis.

Probatur. Dum in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Miſſas Eccleſia celebrat, *de illorum victoriis gratias Deo agit, eorumque patrocinia implorat; ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris*: inquit Tridentina Synodus ſeſſ. 22. cap. 3. Ergo ſacrificium Deo pro Sanctis oblatum, eſt Euchariſticum relate ad illos, pro quorum glorificatione ac triumpho gratiæ Deo redduntur; propitiatorium vero eſt dum-

taxat relate ad nos, quibus venia eorumdem Sanctorum interceſſionibus impetratur. Nam qui jam ſunt in Cœlo beati, nullam habent peccati maculam, nullaque miſeria excrucientur, a qua per ſacrificium liberentur. Unde Auguſtinus ſerm. 159. alias 17. de verbis Apoſtoli ait: *Injuria eſt pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari*. Vide eumdem S. Doctorem tract. 84. in Joan. & in lib. 8. de C. D. c. 27.

Objicies 1. contra 3. propoſ. Mortui nec Chriſti corpus manducare, nec ejus ſanguinem bibere poſſunt: atqui illi tantum fructum ex Euchariſtia participant, qui eamdem manducant, & bibunt: ergo quemadmodum alia Sacramenta poſt mortem non proſunt, ita neque prodeſt Euchariſtia.

Reſp. ex argumento dumtaxat evinci, quod mortui percipere nequeant fructum ex Euchariſtia, quatenus Sacramentum eſt, non vero quatenus eſt ſacrificium; ſic enim non ſoli ſumenti prodeſt, ſed etiam omnibus pro quibus offertur, uti ex dictis apparet. Hinc adnotat S. Bonaventura in 4. d. 45. dub. 3. *quod aliorum Sacramentorum diſpenſatio reſpicit actum in perſona, vel circa perſonam, ſicut patet in Baptiſmo; & ideo non poteſt baptizari, niſi qui praeſto eſt in aquam mergi: ſed ſacrificium eſt actus pro perſona; & quoniam actus in perſonam requirit perſonam actu exiſtentem, ſed pro perſona non, ſicut Chriſtus obtulit ſe Patri pro illis qui fuerunt, & qui futuri ſunt, ſic ſacrificium prodeſt his, qui finierunt vitam.*

Objicies 2. contra 5. propoſ. Oblatio ſacrificii eſt ſupremus latriæ cultus, qui ſoli Deo debe-

betur: ergo grande piaculum eſt, illud in honorem Sanctorum offerre. Quapropter hæretici ſacrificia in honorem B. V. Mariæ oblata iis æquiparant, de quibus dicitur Jeremiæ 7. v. 18. *Mulieres conſpergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cœli, & libent diis alienis.*

Eadem præterea oblatio in honorem Sanctorum directe pugnat cum inſtitutione Dominicæ cœnæ: non enim Chriſtus dixit, Hoc facite in honorem Sanctorum, ſed, *in meam commemorationem*.

Nefas denique eſt, eo animo ſacrificium in honorem Sanctorum offerre, *ut per illorum merita & preces in omnibus divinæ protectionis muniamur auxilio*; quaſi quod Chriſti merita non ſufficerent ad ſalutem.

Reſp. ad 1. Sacrificium a nobis nunquam offerri Sanctis, *ſed Deo ſoli, qui illos coronavit: unde nec Sacerdos dicere ſolet, Offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule; ſed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, &c.* uti ſupra ex Synodo Tridentina retulimus. Jeremias autem loquitur de ethnicis, qui Lunæ, tanquam deæ, ſacrificium offerebant.

Ad 2. Licet Chriſtus Euchariſtiam inſtituens expreſſe non dixerit, Hoc facite in honorem, & commemorationem Sanctorum; non tamen id unquam inhibuit; imo fas illud eſſe Spiritu Sancto edocta declaravit Eccleſia. Longe autem diverſa eſt Chriſti, ac Sanctorum commemoratio, quæ in ſacrificio Miſſæ peragitur. Chriſtum commemoramus, tanquam hoſtiam pro redemptione noſtra in ara crucis oblatam: commemoramus Sanctos, tanquam noſtros apud Deum interceſſores, ut nobis applicetur fructus,

quem Chriſtus ſua morte promeruit; & Deo gratias agimus de illorum victoriis, quas per Chriſti gratiam reportarunt.

Ad 3. Sanctorum merita ac preces, quas in ſacrificio imploramus, meritis Chriſti detrahere nequeunt, ex quibus illa omne pretium valoremque ſuum mutuantur, & trahunt. Neque magis Sanctorum invocatio, & interceſſio dignitati ac virtuti ſacrificii nocet, quam cum Sacerdos a Deo poſtulat, ut ſacrificii fructum ſibi, & aliis applicare, ſeu communicare dignetur. Lege quæ ſcripſimus lib. 20. c. 3.

Notamus hic ultimo, ſacrificium relate ad Sanctos appellari non poſſe vere proprieque *impetratorium*, quamvis majorem eis in Eccleſia cultum, & accidentalem gloriam adprecemur. Id enim non eſt proprie aliquid impetrare pro Sanctis, ſed potius impetrare nobis gratiam, ut eos digno proſequamur honore. Qua de re inquit S. Bonaventura in 4. d. 45. dub. 5. *Cum hoc petimus, non ipſis Sanctis petimus, ſed petimus nobis, ut nobis innoteſcat eorum virtus perfecta, & detur affectio bona ad laudem divinam, ſive ipſorum*. Conſonat S. Thomas in 4. d. 45. q. 2. a. 2. q. 3. ad 1. inquiens, *Sanctos in gloriam non proficere quantum ad ſe, quod eorum feſta recolimus; ſed nobis proficere, qui eorum gloriam ſolemnius celebramus: ſicut ex hoc quod Deum cognoſcimus vel laudamus, ſic quodammodo Dei gloria in nobis creſcit, nihil Deo, ſed nobis accreſcit.*

CA-

CAPUT IV.

De Miſſis, *quæ vulgo* privatæ *dicuntur*.

RECte Theologi poſt Synodum Tridentinam ſeſſ. 22. cap. 6. docent, Miſſam nunquam proprie loquendo *privatam* dici poſſe, ſed quamlibet eſſe communem & publicam; cum in ea ſemper a publico legitimoque Eccleſiæ miniſtro ſacrificium offeratur in commemorationem mortis Chriſti, quæ publicum eſt beneficium; neque Miſſæ ullæ ab eodem miniſtro *pro ſe tantum*, *ſed pro omnibus fidelibus*, *qui ad corpus Chriſti pertinent*, *celebrentur*. Uſus tamen invaluit, ut Miſſæ quædam *privatæ* dicantur, in quibus ſolus Sacerdos *ſacramentaliter* communicat, & quæ vel aguntur abſque publico conventu populique frequentia, vel a Presbytero celebrantur abſque ſacrorum miniſtrorum, clericorumque comitatu.

Ejuſcemodi Miſſas, quæ etiam *ſolitariæ*, *peculiareſque* dicuntur, duce Luthero communiter improbant Novatores, reſpuuntque tanquam Chriſti inſtitutioni, & antiquæ Eccleſiæ praxi contrarias. Cum enim veri ſacrificii oblationem denegent, eo tantum fine inſtitutam Miſſam affirmant, ut Sacramentum petentibus porrigatur: illas proinde Miſſas damnant, in quibus non miniſtratur communio, ceteraſque omnes, præter unam communem publicamque,

 ſer-

ſervatam ad porrigendum Fidelibus Sacramentum.

Propoſitio. Miſſæ privatæ immerito a Novatoribus tanquam illicitæ reprobantur.

Probatur. Illicitæ dicendæ non ſunt Miſſæ, quæ neque contra naturam ſacrificii, neque contra Chriſti præceptum, neque contra Eccleſiæ praxim aguntur. Atqui tales ſunt Miſſæ privatæ. Et primo quidem ſacrificii natura non exigit, ut aliqui, dum celebratur, interſint, fiantque Sacramenti participes; cum totum ſacrificium referatur ad Deum, ac fructus illius æque particeps fieri poſſit, ſive qui præſens eſt, ſive qui abſens. Sacrificium enim ſimile eſt orationi, imo eſt efficaciſſima quædam & *realis* oratio: porro certum eſt orationem ei prodeſſe, pro quo fit, etiamſi ille neſciat quid agatur.

Neque Chriſtus unquam præceptum tulit, ut Sacerdotes publice tantum, & in conventu Eccleſiæ ſacrificium offerant, vel ut a communicando abſtineant, quando nullus adeſt laicorum, qui ex eorum manibus communionem accipiat. Et quamvis id affirment hæretici, nulla tamen ratione demonſtrant, uti clarius infra patebit.

Eam denique novimus fuiſſe praxim Eccleſiæ, ut ſicuti ſemper Fideles pro ſua libertate ad communionem accedere, vel ab ipſa abſtinere potuerint; ita quoque ſemper fas fuerit pro ſuo arbitrio Sacerdotibus publice, aut privatim offerre, dummodo neceſſitas non urgeret. Ita Marcellum Papam rem divinam peregiſſe in domo Lucinæ ex ejus actis apparet: Gregorius Nazianzenus Orat. 19. in laudem Patris ſui, aſ-

aſſerit illum in cubiculo privatim egiſſe ſacrum: Ambroſius Romæ in quadam domo trans Tiberim, auctore Paulino in ejus Vita, obtulit ſacrificium: S. Paulinus Nolanus paucis ante obitum horis, Uranio teſte, idem fecit in altari ante lectulum ſuum præparato: Lucianus Martyr attritus vulneribus, & ara deſtitutus, ſupra pectus ſuum ſacra peregiſſe myſteria, narrat Philoſtorgius lib. 2. H. E. Theodoretus ſacrificium obtulit in cellula Maris monachi, ut ipſemet ſcribit c. 20. Hiſtoriæ Religioſæ.

Ex adductis itaque exemplis eruitur ſaltem celebratam a Viris pietate ac doctrina conſpicuis fuiſſe Miſſam abſque cœtu Fidelium; atque ex iis, quæ dicta ſunt de Patre Gregorii Nazianzeni, de Paulino Nolæ Epiſcopo, & de Luciano Antiocheno Presbytero, infertur etiam neminem, Sacerdotibus exceptis, in ſacrificiis illis communicaſſe.

Id inſuper demonſtratur ex Chryſoſtomi teſtimonio aſſerentis, ætate ſua non omnes Fideles quotidie communicaſſe; cum tamen quotidie ipſe, aliique Sacerdotes offerrent: *Fruſtra eſt*, inquit S. Doctor hom. 3. in epiſt. ad Epheſios, adverſus eos, qui tantum in Quadrageſima ad ſacra myſteria accedebant, *fruſtra eſt quotidianum ſacrificium: fruſtra adſtamus altari: nemo eſt, qui participet*. Et hom. 17. in epiſt. ad Hebræos ait: *Multi hujus ſacrificii ſunt participes ſemel toto anno: alii autem bis: alii vero ſæpe*.

Præterea, Agathenſe Concilium anno 506. juſſit can. 18. ut ſæculares ter in anno communicarent, ideſt, *in die Nativitatis Domini, Paſchatis, & Pentecoſtes*: canone autem 47.

 man-

mandavit, ut ipſimet ſæculares Miſſam *ſingulis diebus Dominicis* audirent. Sexto itaque ineunte ſeculo animarum Paſtores ſingulis Dominicis Miſſas celebrare debebant, quamvis nemo laicorum vellet Sacramentum accipere; ideoque non raro Miſſæ ſine adſtantium communione tunc temporis agebantur.

Poſtremo, ne in re clariſſima prolixiores non neceſſario videamur, cum in privatis Miſſis cultus Deo reddatur, Chriſti paſſio memoretur, vivis defunctiſque Fidelibus pax, venia, requies, & bona omnia impetrentur; cum in iis etiam pro Sanctorum victoriis gratias Deo agamus, eorumque patrocinia imploremus; tantum profecto abeſt, ut illæ dicendæ ſint illicitæ, quin potius ſint ſummopere commendandæ. Merito igitur Synodus Tridentina ſeſſ. 22. can. 8. ita decrevit: *Si quis dixerit, Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat, illicitas eſſe, ideoque abrogandas, anathema ſit.*

Objicies 1. Chriſtus cum ſacram Cœnam inſtituit, omnibus qui aderant, Euchariſtiam diſtribuit, idque faciendum deinceps expreſſe mandavit, inquiens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Miſſæ igitur, in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat, Chriſti inſtitutioni præceptoque repugnant.

Hinc & Apoſtolus in 1. ad Cor. 10. v. 16. ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* In qualibet ergo Miſſa pluribus debet Euchariſtia diſtribui.

Idem quoque Paulus in citata epiſt. c. 11. Do-

Dominicam Cœnam privatæ cœnæ opponit, aitque v. 20. *Jam non eſt Dominicam cœnam manducare. Unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum.* In quem locum Chryſoſtomus ita ſcribit: *Quod dominicum eſt, privatum fecerant. Cœna enim Domini debet eſſe communis: &c.* Similia habet Theophylactus.

Reſp. ad 1. in eo præcepto, *Hoc facite, &c.* diſtinguenda eſſe quæ pertinent ad rei ſubſtantiam, & quæ dumtaxat circumſtantias loci, temporiſque reſpiciunt. Ad ſubſtantiam attinet, quod agantur Deo gratiæ, benedicantur & conſecrentur oblata, de eiſdem participet qui ſacrificat; & iſthæc omnia in Dominicæ paſſionis memoriam celebrentur: his enim conſtat Euchariſtici ſacrificii finis, ratio, & eſſentia. Quod vero eidem ſacrificio populus adſit, communionem petat, eique una vel utraque ſpecies porrigatur, idque in hujus vel alterius loci aut temporis circumſtantia fiat, ad ſacrificii ſubſtantiam minime pertinet, & arbitrio Rectorum Eccleſiæ relictum eſt: alioqui ſi omnia quæ Chriſtus fecit, caderent ſub præcepto, Euchariſtia eſſet percipienda poſt cœnam, ſemel in anno, a diſcumbentibus, feminiſque ſecluſis.

Ad 2. Apoſtolus hoc Sacramentum appellat communicationem corporis & ſanguinis Domini, non quia neceſſe eſt ipſum quoties offertur, multis communicari; ſed quia præſentibus ac legitime petentibus diſtribuatur. Sicut autem populus frequenter a Sacerdote communionem percipit extra ſacrificii tempus; ita poteſt & Sacerdos offerre ſacrificium, etiamſi nullus e populo adſit, & licet nemo petat perci-

cipiatque communionem.

Ad 3. Paulus, ejuſque Interpretes per Dominicam Cœnam non intellexere celebrationem, ſive ſumptionem Euchariſtiæ, quam Eccleſiæ Miniſtri pauperibus æque ac divitibus diſpenſabant; ſed convivium quod in primitiva Eccleſia ad imitationem cœnæ Domini ſolebant ditiores, vel certe præfecti Eccleſiæ, ſubinde ante, ſubinde poſt ſacram communionem inſtruere. Epulum vero iſtud etſi prius commune pauperibus divitibuſque fuiſſet, in ſymbolum mutuæ charitatis; unde & *Agapæ*, ideſt dilectio vocabatur; paulo tamen poſt irrepſit abuſus, ut divites privatim & laute, & non raro ad ebrietatem uſque cœnarent, excluſis, vel non expectatis pauperibus; quod eo in loco reprehendit & reformat Apoſtolus, inquiens, taliter convivantes non imitari Dominicam Cœnam, quam Chriſtus communem cum pauperibus diſcipulis ad Patrem iturus inſtruxit. *Numquid domos non habetis ad manducandum*, *&c.* Lege contextum.

Objicies 2. Chryſoſtomus in laudata hom. ſuper epiſt. ad Epheſios ait, *fruſtra fieri* quotidianum ſacrificium, *ſi nemo ſit qui participet*; atque hanc comparationem adjungit: *Dic mihi, ſi quis ad convivium invitatus minus laverit, & accubuerit, & ad menſam paratus fuerit, & deinde non fuerit ejus particeps, annon contumelia afficit eum qui invitavit? Annon eſſet melius eum ne adfuiſſe quidem?*

Deinde ipſa Latinæ Eccleſiæ Liturgia demonſtrat Miſſam ita ab initio inſtitutam, ut in ea plures communicarent; uti patet ex verbis illis, *Ut quotquot ex hac altaris participatione ſacro-*

croſanctum Filii tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, &c. Idque conſtat etiam ex verbis aliis, quæ ſignificant adſtantium communionem, in omnibus fere precibus quæ ob præſentium multitudinem *Collectæ* dicuntur.

Tandem Agnus Paſchalis, poſtquam fuerat immolatus, a pluribus convivis ſecundum legem manducari debebat: ergo ut veritas figuræ reſpondeat, Chriſtus qui verus eſt Agnus, myſtice immolatus, abſque Fidelium convivarumque cœtu participari non debet.

Reſp. patere ex dictis, quod Chryſoſtomi verba aperte refellant hæreticos. Si enim ille quotidianum ſacrificium offerebat, quamvis nemo communionem, niſi bis, aut ſemel in anno, perciperet; optime profecto noverat S. Doctor illicitam, aut illegitimam non eſſe hujuſmodi ſacrificii oblationem. Chryſoſtomus itaque per rethoricam quandam hyperbolem reprehendit negligentiam eorum, qui perraro communicabant, & ad eos dirigit parabolam invitantis ad menſam. Denique cum Euchariſtia ſimul ſit ſacrificium ordinatum ad Dei cultum, qui eſt primarius finis, ſimulque ſit Sacramentum ordinatum ad ſpiritualem Fidelium refectionem, qui finis eſt ſecundarius; dum Chryſoſtomus ait, *fruſtra eſſe quotidianum ſacrificium*, &c. non de primario, ſed de ſecundario tantum fine illum intellige.

Ad 2. Sacerdos etiam in Miſſis privatis, in quibus nullus alius communicat, plurali numero ea verba pronunciat, *Ut quotquot*, &c, quoniam multi ſæpenumero, etſi non ſemper, de altari participant, nonnulli ſpiritualiter communicant, & Sacerdos ſuo aliorumque Fidelium no-

nomine offert, & orat; quod præſtat etiam in Collectis.

Ad 3. Neceſſe non eſt, ut per omnia veritas & figura conveniant. Chriſtus enim totus & integer a ſingulis ſumitur, quod fieri in Agno Paſchali non potuit; ideoque oportuit ipſum a pluribus manducari. Nota tamen adverſus hæreticos, quod ſicut ad eſum Agni non totus populus confluebat, ſed ſingulæ familiæ per ſingulas domos juxta præceptum Domini, Exodi 12. v. 3., ita nec videri debet incongruum, ſi Miſſæ non ſemper in totius populi conventu, ſed in privatis interdum Oratoriis, ad quæ pauci conveniunt, celebrentur.

Ex hucuſque dictis apparet, perperam, impieque hæreticos unam tantum communem Miſſam, reprobatis ceteris, commendare. Sed ad eos inſuper refellendos accedit antiqua Majorum conſuetudo. Ab ipſis enim Eccleſiæ incunabulis conſuetum fuit alios præter Parochos & Eccleſiarum Rectores ad Sacerdotium promovere; quæ ſane promotio fuiſſet omnino fruſtranea, ſi præter unam communem Miſſam a Parochis pro commoditate populi agendam, celebratæ non eſſent abſque *collecta* & *ſynaxi* Miſſæ ſolitariæ ac privatæ. Permultas deinde Miſſas eodem die celebratas demonſtrat doctiſſimus Cardinalis Bona lib. 1. rerum Liturgicarum c. 14. ex Conſtitutionibus Angelberti Abbatis, ex antiquitatibus Fuldenſium, ex multitudine altarium in eadem Eccleſia, atque ex monumentis aliis Eccleſiaſticæ eruditionis. Vide etiam P. Berti in lib. 33. c. 21.

At dices. Sanctus Franciſcus in epiſt. ad Sacerdotes ſui Ordinis ait: *Moneo præterea &*

ex-

exhortor in Domino, ut in locis in quibus morantur Fratres, una tantum celebretur Miſſa in die, ſecundum formam S. R. Eccleſiæ. Si vero in loco plures fuerint Sacerdotes, ſit per amorem charitatis alter contentus audita celebratione Sacerdotis alterius; quia abſentes & præſentes replet, qui eo digni ſunt, Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Quo teſtimonio evidentius nihil afferri poteſt ad hæreticorum dogma firmandum, uti inter alios Melanchthon aſſeruit.

Reſp. prætermiſſa multiplici aliorum reſponſione, Seraphicum Patriarcham hoc loco monuiſſe Fratres, ne ſacroſancta ſacrificia multiplicarent, veritum, ne propter quotidianam ſacrificandi conſuetudinem, tanti myſterii debita reverentia, quam fervide ibidem inculcat, paulatim imminuta deficeret. Ceterum in hac ipſa epiſtola S. Pater ſupponit penes Fratres liberam eſſe facultatem ſacrificandi quando placuerit, inquiens: *Quandocunque voluerint Miſſam celebrare, puri & pure faciant cum reverentia.* Non ergo Vir ſanctiſſimus ſacrificandi adimit libertatem, neque ut illicitam prohibet Miſſarum multitudinem, uti prohibuerunt hæretici; ſed ita loquitur humilitatem commendando; qua etiam ex cauſa ipſe ad ſacrum Presbyteratus Ordinem aſcendere recuſavit. Huc faciunt quæ de frequenti communione tradidimus priori in libro c. 13. in fine, numero præſertim 111. Lege adnotationem P. Joannis De la Haye in hanc ipſam epiſtolam.

CA-

C A P U T V.

Ubi de ſacrificio Miſſæ nonnulla breviter exponuntur.

ETſi inſtituti noſtri ratio minime patiatur, ut de omnibus quæ ad Miſſæ ſacrificium pertinent, diſſeramus; ne tamen Tyrones noſtri nonnulla ſcitu utiliora prorſus ignorent, ea nunc breviter exponemus. Sit itaque

Quæſitum 1. Miſſæ vocabulum unde ſuam trahit originem?

Reſp. Nonnulli *Miſſæ* vocabulum derivatum eſſe propugnant ab Hebraico verbo מסת, *miſſat*, quod legitur Deut. 16. v. 10. & pro quo Vulgata noſtra habet *oblationem*. Quidam vero idem nomen ortum putant a Græco vocabulo μύησις, *initiatio*, *myſterium*, ſive a verbo μυέω, *doceo*, *inſtituo*; unde & *Muſa* apud Euſebium lib. 2. de Præpar. Evang. c. 2. At alii plures Latinum eſſe idem nomen exiſtimant, illudque repetunt a *mittendo*, quaſi idem ſit *Miſſa*, ac *miſſio*, quemadmodum *remiſſa*, idem ac *remiſſio* apud Veteres, ut apud Cyprianum in lib. de Bono patientiæ, & alibi.

Prior opinio etſi non ignobiles patronos habeat, falſa tamen Eſtio, Berti, aliiſque videtur ex eo præſertim, quia ſi Miſſa vox Hebræa eſſet, jam non Latini tantum, ſed & Græci ea voce uterentur; ſicut utuntur his voci-

cibus, *Amen*, *Halleluja*, *Hoſanna*, *&c.* At neque Græci, imo neque Syri Miſſæ nomen uſurpant.

Opinio altera ſingularis eſt, ac leviſſimæ innititur conjecturæ, ipſaque ſcribendi ratione refellitur; nullibi enim *Myſſam*, aut *Muſam* pro *Miſſa* ſcriptum invenies.

Reſtat ergo ut tertiam ſententiam amplectamur, dicamuſque a *mittendo*, ſive *dimittendo* vocabulum *Miſſæ* incruento ſacrificio fuiſſe tributum. Id ut clarum fiat, advertimus, duplicem antiquitus factam fuiſſe miſſam, ſive dimiſſionem, dum ſacrificium agebatur. Prior fiebat poſt Evangelium, atque hæc vocabatur Miſſa Catechumenorum, quia tunc Catechumeni dimittebantur quibus non licebat ſacris intereſſe myſteriis. Hanc miſſionem denunciabat Diaconus, inquiens, *Si quis eſt Catechumenus, exeat foras*.

Altera miſſa erat, quando dimittebatur populus ſacrificio jam peracto. Hujus dimiſſionis meminit Hieronymus in Matth. c. 25. hiſce verbis: *Unde reor & traditionem Apoſtolicam permanſiſſe, ut in die vigiliarum Paſchæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat expectantes adventum Chriſti, & poſtquam illud tempus tranſierit, ſecuritate præſumpta feſtum cunctis agere diem*. Hinc itaque fit, ut in diebus lætitiæ, quando poſt ſacrificium non continuatur oratio, dicat Diaconus, *Ite, miſſa eſt*; quaſi diceret, Dimiſſio eſt, licet abire. Cujus loco in diebus pœnitentiæ, quando protrahitur oratio poſt ſacrificium, dicitur, *Benedicamus Domino*.

Poſterior hæc dimiſſio vocabatur Miſſa Fide-

delium, a qua deinde tota ſacrificii actio Miſſæ nomen accepit; ea videlicet ratione, qua interdum a parte totum nominatur; maxime ob Diaconi vocem peracto ſacrificio omnium auribus inſonantem, *Ite*, *miſſa eſt*. Hujus denominationis teſtes ſunt Iſidorus, Durandus, & alii, qui divinorum Officiorum rationes explanant.

Quæſitum 11. Quibus aliis nominibus incruentum ſacrificium deſignatur?

Reſp. compluribus, quorum apud Latinos præcipua ſunt *Oblatio*, *Communio*, *Collecta*, *Dominicum*, *Sacrum*, *Agenda*. Occurrit *Oblationis* nomen apud Tertullianum de cultu fem. c. 11. Cyprianum epiſt. 27. Auguſtinum epiſt. 54. alias 118. & alios: eodemque nomine in Ordine Romano ſignificatur etiam *Hoſtia conſecrata*, quæ appellari ſolet *Oblatio formata*; nam & hoſtia quæ offertur, vulgo *oblatio*, ſive *oblata*, a Latino verbo *offero*, nuncupatur. *Communionis* præterea nomen legitur apud Nazianzenum, Iſidorum Peluſiotam, alioſque Patres a Card. Bona in lib. 1. rerum liturgic. c. 3. laudatos, quaſi parte uſurpata pro toto; quoniam in Miſſæ ſacrificio fit Dominici corporis conſecratio, & participatio. Dicitur *Collecta*, ex quo Fideles ſimul colligantur, & congregentur, ut ſacrificio interſint. Dicitur *Dominicum*, quod ſit actio plane divina, in qua Chriſtus Dominus Deo Patri offertur. Idem de *Sacro* dicendum eſt. Vocatur tandem *Agenda*, quoniam Veteres dicere ſolebant *Agere Miſſas*, & quoniam ſacrificare Deo eſt *actio* quædam ſingularis, ac præſtantiſſima. Hinc *Actionis* nomine præcipue denotatur *Canon* Miſſæ, quia in eo Euchariſtia perficitur. Ha-

Habent & Græci ad deſignandum Miſſæ ſacrificium plura vocabula, quorum præcipua ſunt, *Liturgia*, *Myſtagogia*, *Hierurgia*, *Synaxis*, *Telete*, *Thyſia*, *Anaphora*, *Proſphora*. Liturgia publicum miniſterium ſignificat: eſt enim a ληΐτον, *publicum*, & ἔργον, *opus*. Ita quoque Myſtagogia idem eſt, ac *myſtica actio*; & Hierurgia *ſacram* denotat *actionem*. Synaxis vero idem ſonat, ac apud Latinos *Collecta*, a verbo συνάγω, *congrego*; unde & *Synagogæ* nomen emanat. *Thyſia* ſignificat ſacrificium a θύω, *macto*, *ſacrifico*. Accedit & *Telete* a τελέω, *perficio*, deſignatque *conſecrationem*. Duo poſtrema vocabula ab ἀναφέρειν, & προσφέρειν oriuntur, *oblationemque* ſignificant. De citatis hiſce vocabulis legendi ſunt Berti, Bona, Durandus, aliique.

Quæſitum 111. Num Miſſæ ſacrificium *ex opere operato* efficaciam, agendique vim habeat?

Reſp. illud ex opere operato valere ad bona tum ſpiritualia, tum temporalia impetranda. Id enim ex opere operato agere dicitur, quod non a miniſtri probitate dependet, ſed ex Chriſti inſtitutione, ipſaque operis externi virtute, ſuum ſortitur effectum. Atqui hoc modo Miſſæ ſacrificium agit: unde Synodus Tridentina in ſeſſ. 22. c. 1. ait: *Et hæc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari poteſt*. Et ibidem c. 2. docet per ſacrificium peccata dimitti, hanc proferens rationem: *Una enim eademque eſt Hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa*.

Agit autem ſacrificium non immediate ac

proxime gratiam conferendo, uti Sacramenta operantur; ſed Deum placando eandem gratiam impetrat, per quam peccator ad Sacramenta confugiens, juſtitiam conſequatur. Hæc enim inter Sacramentum & Sacrificium diſcriminis ratio eſt, quod iſtud primario in Dei tendit honorem, illud autem ad ſanctificationem hominum ordinatur. Denique non major tribuenda eſt virtus ſacrificio Miſſæ, quam ſacrificio crucis, ex quo illud omnem efficaciam ſuam trahit: ſicut itaque ſacrificium crucis immediate peccatores non juſtificavit, ſed Deum placavit, impetravitque, ut illi ad ſalutem per debita media pervenirent; ſic & Miſſæ ſacrificium homines non immediate juſtificat, ſed impetrat, ut illi ex merito ſacrificii crucis gratiæ, & pœnitentiæ donum obtineant. Ea autem impetratio ex opere operato eſt efficax, cum ab ipſius oblationis virtute proveniat. Recolenda hic etiam ſunt quæ de defunctis ſpeciatim diximus in lib. 22. c. 5.

Dicet hic aliquis. Non raro contingit, ut illi pro quibus ſacrificium offertur, gratiam, & pœnitentiæ donum, aliaque beneficia, ac temporalia commoda non reportent. Reportarent autem infallibiliter, ſi idem ſacrificium agendi ex opere operato virtutem haberet.

Reſp. ex Dei inſtitutione ſacrificium Miſſæ habere vires ex ſeſe efficaces ad applicandum nobis fructum Dominicæ paſſionis, illumque reipſa applicare, pro Dei tamen arbitrio, & pro diſpoſitione ſubjecti; quod ſufficit, ut illud agere ex opere operato dicatur. Hinc in quibuſdam converſionem cordis, veramque pœnitentiam efficit, in quibuſdam autem non niſi le-

levem aliquem debilemque motum erga Deum. Nam etſi ſacrificium offeratur ad placandum Deum etiam pro indignis; aliquando tamen talia ac tanta ſunt hominum peccata, ut Deus uno alterove ſacrificio non placetur, neque robuſtiorem gratiam largiatur. Præterea non oportet, ut effectus ſacrificii ſtatim exiſtat; ſed ſatis eſt, ut Deus gratiam & bona ſpiritualia tribuat, quum ſibi videbitur opportunum: nam & ipſum ſacrificium crucis non continuo effectum ſuum obtinuit. Idem denique dicito de temporalibus bonis, & adde, quod ea, etiamſi in ſacrificio poſtulata, Deus quandoque non tribuit, quia ad æternam ſalutem utilia non eſſe cognoſcit; ac interim ſpiritualia bona largitur. Lege Bellarminum in lib.6. de Euchariſtia cc. 4. & 5.

Quæſitum IV. An Sacrificium iſtud valorem habeat infinitum?

Reſp. Miſſæ ſacrificium, ſi conſideretur quoad ſubſtantiam, & ſufficientiam ex parte rei oblatæ, & principalis offerentis, Chriſti videlicet, infinitum habere valorem; ſicuti ſcilicet infiniti valoris extitit ſacrificium crucis ob infinitam Chriſti Domini dignitatem. Eſt enim tum in incruento, tum in cruento ſacrificio una eademque hoſtia, & unus idemque offerens principalis.

Si vero ſpectentur effectus, & modus quo nobis idem ſacrificium applicatur, finiti dumtaxat valoris eſt; alioquin Eccleſia unica incruenta oblatione totum Purgatorium liberaret, necnon & pro innumeris quæ poſtulantur beneficiis ſemel offerre ſufficeret, poſſetque Sacerdos, qui eleemoſynam pro centum Miſſis

a centum perſonis accepit, pro omnibus ſatiſfacere unam tantum Miſſam agendo; quod a Romanis Pontificibus damnatum eſt.

Hæc autem limitatio fructus, ſive ſalutaris effectus in ſacrificio Miſſæ ex mera Chriſti voluntate petenda eſt. Sicut enim ille quamvis uno actu pro peccatis noſtris ſatisfacere potuiſſet, ſui tamen erga nos amoris cauſa uſque ad mortem crucis ſemetipſum humiliavit: ita licet per unam incruenti ſacrificii oblationem potuiſſet quælibet a Deo, & pro quibuslibet impetrare; voluit tamen ut per iteratas oblationes memoriam mortis ſuæ frequentius recoleremus, & ut per quotidianas oblationes noſtrum captaret amorem, ſuumque viciſſim ipſe nobis oſtenderet.

Quæſitum v. An Miſſa mali Sacerdotis minus valeat, quam Miſſa boni Sacerdotis?

Reſp. cum S. Thoma in 3. p. q. 82. a. 6. „ quod „ in Miſſa duo eſt conſiderare, ſcilicet ipſum „ Sacramentum, quod eſt principale, & ora„ tiones, quæ in Miſſa fiunt pro vivis, & „ mortuis. Quantum ergo ad Sacramentum, „ non minus valet Miſſa Sacerdotis mali, quam „ boni: quia utrobique idem conficitur Sacra„ mentum. Oratio etiam, quæ fit in Miſſa, „ poteſt conſiderari dupliciter, uno modo, in„ quantum habet efficaciam ex devotione Sa„ cerdotis orantis: & ſic non eſt dubium, quod „ Miſſa melioris Sacerdotis magis eſt fructuo„ ſa. Alio modo, in quantum oratio in Miſſa „ profertur a Sacerdote in perſona totius Ec„ cleſiæ, cujus Sacerdos eſt miniſter, quod „ quidem miniſterium etiam in peccatoribus „ manet... Unde etiam quantum ad hoc eſt

„ fru-

„ fructuoſa non ſolum oratio Sacerdotis pecca-
„ toris in Miſſa, ſed etiam omnes ejus ora-
„ tiones, quas facit in Eccleſiaſticis officiis, in
„ quibus gerit perſonam Eccleſiæ; licet ora-
„ tiones ejus privatæ non ſint fructuoſæ, ſe-
„ cundum illud Proverb. 28. *Qui declinat au-*
„ *res ſuas, ne audiat legem, oratio ejus erit*
„ *execrabilis.*

Ex quibus infertur, quod etſi tum ex parte Sacramenti, tum ex parte Eccleſiæ, in cujus perſona fiunt orationes, paritas habeatur; ex parte tamen ejus qui offert & orat, procedat inæqualitas; ita ut omnibus conſideratis, ſimpliciter & abſolute dicendum ſit, Miſſam boni Sacerdotis meliorem eſſe quam mali. Quapropter Seraph. Doctor ait in 4. d. 13. a. 1. q. 4. *Si quis libentius audiat miſſam Sacerdotis devotioris, credo quod bene facit: dum tamen credat ipſum in ſubſtantiali non ſuperexcedere peccatoris miſſam; alioquin periculoſe erraret.*

Ex eadem inſuper ratione concluditur non tantum meliorem eſſe Miſſam Sacerdotis melioris quam minus boni; verum & unius ejuſdemque Sacerdotis Miſſam unam eſſe altera meliorem, non ſolum quia diverſo tempore ipſe ſeipſo melior eſt aut minus bonus, ſed etiam quia uno tempore devotius quam alio orat, & offert. Lege Eſtium in 4. d. 13. §. 4.

Quæſitum VI. An liceat Sacerdoti ſtipendium, ſive eleemoſynam pro Miſſæ celebratione percipere?

Reſp. affirmative; non tamen uti ſacrificii pretium, cum ſimoniacum ſit pro ſpirituali opere mercedem repetere temporalem; ſed ratione *propriæ ſubſtentationis*, uti fert æquiſſima

Eccleſiæ praxis, quam etiam Apoſtoli probat oraculum. Hæc enim inter alia ſcribit ille in 1. ad Cor. 9. v. 13. *Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt, & qui altari deſerviunt, cum altari participant?* At de his aliiſque ad ſacrificium Miſſæ ſpectantibus plura tradunt prolixiores doctioreſque Theologi, quos inter legendus eſt S. Bonaventura in libro præſertim cui titulus, *Expoſitio Miſſæ*, ubi ſumma cum pietate præcipuas Miſſæ partes explanat; neque omittendus eſt P. Berti, qui in lib. 33. c. 22. de hoc argumento erudite pertractat.

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS

LIBER XXX.

In quo de Sacramento Matrimonii diſputatur.

QUamvis Theologi de Sacramentis agentes ultimum locum Matrimonio tribuere conſueverint; nos tamen hic de eo diſputare decrevimus, ut in ſubſequente volumine, quo de Sacramentis ſermo concluditur, poſt Pœnitentiam de Extrema Unctione loquamur: cum Sacramentum iſtud illius *conſummativum* ſit; uti docuerunt SS. Eccleſiæ Patres, necnon Synodus Tridentina, quæ in ſeſſ. XIV. ſimul de Pœnitentia, & Extrema Unctione diſſeruit.

CAPUT I.

An Matrimonium ſit in ſe bonum, & honeſtum, ac aliquo pacto præceptum?

SAcramenti de quo differimus, quatuor potiſſimum ſunt nomina; nempe *Matrimonium*, *Nuptiæ*, *Connubium*, *atque Conjugium*. Dicitur *Matrimonium ex hoc*, *quod*, uti ſcribit Auguſtinus in lib. 19. contra Fauſtum c. 26. *non ob alind debeat femina nubere*, *quam ut mater fiat*. Potius autem *Matrimonium*, quam *Patrimonium* appellatur; quoniam licet pater ſit ſexu & dignitate præſtantior, matri tamen *infans eſt ante partum oneroſus*, *doloroſus in partu*, *poſt partum laborioſus*, ut ait Gregorius IX. cap. *Ex litteris*, 3. Decret. tit. 33. n. 2. Appellatæ ſunt *Nuptiæ* a *nubendo*, ſive velando; eo quod ſponſæ apud veteres, dum viris tradebantur, capita nubere, ſive velare ſolerent: de quo more occurrit etiam mentio Gen. 24. v. 65. Ab eodem *nubendi* vocabulo *Connubium* ſuam habet originem, & exprimit quoque *eſſe cum alio*. Idem fere ſignificat *Conjugium*, quaſi nempe duorum ad idem jugum aſtrictio. Lege S. Bonaventuram in 4. d. 27. a. 1. q. 2.

Conſiderari autem Matrimonium poteſt, & ut contractus civilis in officium naturæ, & ut a Chriſto ad Sacramenti dignitatem evectum eſt.

eſt. Sub primo reſpectu deſcribi ſic poteſt: *Eſt maritalis conjunctio viri, & feminæ inter legitimas perſonas inita, & individuam vitæ conſuetudinem retinens*. Ex quo patet, Matrimonii nomine non intelligi quamcumque maris feminæque commixtionem, ſed conjunctionem illam, qua gignendæ, fovendæque prolis cauſa vir ac mulier indiſſolubili fœdere copulantur. Si vero ſub poſteriori reſpectu Matrimonium conſideretur, ita poterit definiri: *Eſt novæ legis Sacramentum, in quo vir, & mulier per maritalem legitimamque conjunctionem, individuam vitæ conſuetudinem aggrediuntur*.

Ut recto ordine diſputemus, priuſquam contra Novatores oſtendamus Matrimonium inter novæ legis Sacramenta recenſendum eſſe, hoc in capite quærimus, an illud ſit res licita & honeſta; nam Simoniani, Marcionitæ, Manichæi, aliique veteres hæretici Matrimonium dixere malum, illicitum, & a ſatana introductum.

Propoſitio. Matrimonium licita & honeſta res eſt, in hoc etiam naturæ lapſæ ſtatu.

Probatur. Licita ac honeſta res eſt illud, quod ex naturæ rationalis inclinatione trahit originem, quodque Deum habet auctorem, & poſitiva inſtitutione ab ipſo firmatum eſt: atqui ejuſmodi eſt Matrimonium. Probatur antecedens quoad 1. partem cum S Thoma in ſuppl. q. 41. a. 1. Dupliciter ad Matrimonium ratio naturalis inclinat: *Primo quantum ad principalem ejus finem, qui eſt bonum prolis. Non enim intendit natura ſolum generationem prolis, ſed etiam traductionem & promotionem uſque ad perfectum ſtatum hominis, inquantum homo eſt,*

qui

qui eſt virtutis ſtatus. Unde ſecundum Philoſophum Ethic. 8. *tria a parentibus habemus, ſcilicet* eſſe, nutrimentum, & diſciplinam. *Filius autem a parente educari, & inſtrui non poſſet, niſi determinatos & certos parentes haberet; quod non eſſet, niſi eſſet aliqua obligatio viri ad mulierem determinatam, quæ matrimonium facit. Secundo quantum ad ſecundarium finem matrimonii, qui eſt mutuum obſequium ſibi a conjugibus in rebus domeſticis impenſum. Sicut enim naturalis ratio dictat, ut homines ſimul cohabitent, quia unus non ſufficit ſibi in omnibus, quæ ad ipſam vitam pertinent, ratione cujus dicitur homo naturaliter* politicus; *ita etiam eorum quibus indigetur ad humanam vitam, quædam opera ſunt competentia viris, quædam mulieribus. Unde natura monet, ut ſit quædam viri ad mulierem aſſociatio, in qua eſt matrimonium.*

Hinc quoque altera pars antecedentis oſtenditur. Non enim dubitandum ullatenus eſt, quin Auctor naturæ ſit Deus; proindeque ſi matrimonium ex inclinatione rationalis naturæ deſcendit, oportet, ut Deum habeat auctorem. Præterea Deus ut doceret arctius eſſe conjugii vinculum inter homines, quam ſocietatem procreationis cauſa inter beſtias; cum in his mares feminaſque ſeorſim condidiſſet, homines non ſeorſim ambos, ſed alterum ex altero, feminam ſcilicet ex viro, formavit, neque aliunde, quam ex latere, uti Gen. 2. v. 22. legitur; atque ita ipſo productionis modo monſtravit inter utrumque illorum ſexum generationis cauſa junctum, arctiſſimum debere eſſe conſortium. Id denique prophetico ſpiritu Adam intelligens de uxore ſua dixit in citato Gen. cap. v. 23.

Hoc

Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ; & erunt duo in carne una. Quæ ſane verba indiſſolubilem licitumque Matrimonii nexum evidenter oſtendunt: atque id clarius etiam Chriſtus expreſſit, dum Matth. 19. citatum textum proferens, adjunxit v. 6. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Lege Synodum Tridentinam ſeſſ. 24. cap. unico de Matrimonio, & S. Bonaventuram in 4. d. 26. a. 1. q. 2.

Licitæ præterea nuptiæ demonſtrantur ejuſdem Chriſti Domini facto Joan. 2. quando eas ſua, ac Matris ſuæ, & diſcipulorum præſentia, adhibito etiam illuſtri miraculo honeſtavit; uti Auguſtinus contra Manichæos eum locum docte pertractat. Quod vero tunc per ſe Dominus egit, id jam olim fecerat per Archangelum Raphaelem, quo quaſi paranympho Tobiam inter & Saram conciliatæ ſunt nuptiæ: Cujus etiam ſanctiſſima præcepta leguntur de legitimo uſu conjugii, Tobiæ c. 6.

Paulus etiam Matrimonium, ejuſque uſum non raro commendat, ac præſertim in 1. ad Cor. c. 7. ubi inter alia v. 3. ſcribit: *Uxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & uxor viro*: & v. 10. *Iis autem qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere*: denique v. 28. *Si acceperis uxorem, non peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccavit.* Lege etiam 1. ad Tim. c. 4. v. 3. & c. 5. v. 14. & ad Heb. c. 13. v. 4.

Ex conſtanti quoque Eccleſiæ fide confirmatur aſſertio, de qua plurima extant decreta.

Pon-

Pontificum, & Conciliorum, necnon egregia Patrum ſcripta Catholicum dogma tuentium adverſus veterum hæreticorum inſaniam. At nobis hæc indicaſſe ſufficiat, quæ apud P. Berti, alioſque Theologos legi facile poſſunt.

Objicies 1. Apoſtolus in 1. ad Cor. 7. v. 6. Matrimonium ſecundum indulgentiam, veniamque concedit, inquiens: *Hoc dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium*. Atqui ubi venia eſt, ibi eſt culpa: unde S. Auguſtinus in lib. de pecc. orig. c. 38. ait: *Evidenter quippe dum tribuit veniam, denotat culpam*.

Idem præterea Paulus ad Rom. 8. v. 8. ſcribit: *Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*. Id autem de iis, qui matrimonii vinculo conjunguntur, exponit Hieronymus in lib. 1. contra Jovinianum.

Denique Lucæ 14. v. 20. quidam invitatus ad cœnam Patrisfamilias reſpondit: *Uxorem duxi, & ideo non poſſum venire*. Illicita itaque res eſt matrimonium, cum impediat a cœleſti gloria, quam cœna illa myſtice deſignabat.

Reſp. ad 1. Apoſtolum non loqui de conjugali concubitu, qui fit ſola cauſa procreandi filios, debitumque reddendi; ſed de eodem concubitu, qui ad explendam incontinentiam exercetur. Hinc Auguſtinus in lib. de bono conjugali c. 10. advertens Apoſtolum concedere nuptias ſecundum veniam, & poſtea addere, quod non peccat qui nubit, ait: *Hinc certe jam dubitare fas non eſt, nuptias non eſſe peccatum. Non itaque nuptias ſecundum veniam concedit Apoſtolus. Nam quis ambigat abſurdiſſime dici non eos peccaſſe, quibus venia datur? Sed illum concubitum ſecundum veniam*

con-

concedit , qui ſit per incontinentiam , non ſola cauſa procreandi, & aliquando nulla cauſa procreandi; quem nuptiæ non fieri cogunt, ſed ignoſci impetrant.

Ad 2. Loquitur ibi Paulus de iis , qui in carne ſunt , & ſecundum carnis deſideria vivunt , ſibique dominari libidinem patiuntur; nam alios qui ipſa corruptibili carne bene utuntur, ibidem v. 9. ita commendat: *Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu.* Lege S. Auguſtinum in lib. 2. de peccat. mer. & remiſſ. c. 28. Hieronymus autem inſtituto ſuo ſententiam Apoſtoli accommodans non aliud vult , quam conjuges, dum carnali vacant operi, non poſſe ſimul vacare orationi, rebuſque divinis; quod ipſe etiam ſignificavit Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 5. conjuges ita monens: *Nolite fraudare invicem , niſi forte ex conſenſu ad tempus , ut vacetis orationi.*

Ad 3. Dictum id eſt propter impedimenta, quibus conjugati a cœleſtium rerum cura ſæpenumero abſtrahuntur. Ut enim ait Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 33. *Qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt:* quod utique conjugatorum culpa eſt, non conjugii. Vide S. Ambroſium lib. 7. in Lucam. Conſtat reſponſio ex comparatione aliorum, qui cœnam Patrisfamilias contempſerunt; ejus ſcilicet, qui *villam*, & alterius, qui *boum juga quinque* emit; in quibus minime reprehenditur rerum emptarum poſſeſſio, ſed immoderata cupiditas.

Objicies 2. Conjugii opus in ſtatu naturæ corruptæ a concupiſcentia promovetur, & ſine libidine mentiſque perturbatione exerceri non po-

poteſt. Ergo ipſum quoque conjugium non eſt res honeſta, ſed turpis; quod etiam verum eſſe demonſtrat pudor, qui nequit a conjugii uſu disjungi. Denique matrimonium poſt lapſum in remedium incontinentiæ inſtitutum eſt: qui autem matrimonio ſic utuntur, ſaltem venialiter peccant; cum ipſam incontinentiam expleant, ſaturentque: ergo matrimonium in hoc ſaltem lapſæ naturæ ſtatu licitum eſſe non poteſt.

Reſp. cum S. Thoma in ſuppl. q. 41. a. 3. ad 3. *quod turpitudo illa concupiſcentiæ, quæ actum matrimonialem ſemper concomitatur, non eſt turpitudo culpæ, ſed pœnæ ex peccato primo proveniens, ut ſcilicet inferiores vires, & membra corporis rationi non obediant:* eademque turpitudo erubeſcentiam homini affert, *quia*, ut idem S. Doctor ait quæſt. 49. a. 4. ad 4. *de quolibet defectu homo naturaliter erubeſcit*.

Neque obſtat, quod in matrimonii uſu obnubiletur ratio, vel etiam abſorbeatur, quia *ſuperfluitas paſſionis, quæ virtutem corrumpit, non ſolum impedit rationis actum, ſed etiam tollit rationis ordinem, quod non facit delectationis intenſio in actu matrimoniali; quia etſi tunc non ordinetur homo, a ratione tamen eſt præordinatus:* inquit Scholarum Angelus in citata q. 41. a. 3. ad 6.

Similia docet S. Bonaventura ſcribens in 4. d. 31. a. 2. q. 1. quod *immoderatio, deordinatio, erubeſcentia, & libido ſi ſunt circa actum rationis, ſemper faciunt culpam; quia faciunt malum ſecundum ſe. Si autem ſunt circa actum ſenſualitatis exiſtente ordinatione circa actum rationis, tunc iſta cedunt in pœnam; & ſic eſt in propoſito. Nam per virtutem Sacramenti ratio*

tio ordinatur, ut moderate velit, & ordinate, & honeſte: nec de illo actu erubeſcit homo, quia vult filios procreare, nec improba voluntate appetit, ſed caſta. Sed niſi interveniret remedium matrimonii, tunc eſſet inordinatio non ſolum in ſenſualitate, ſed etiam in ratione; & ſic ſemper eſſet peccatum.

Tandem ex dictis apparet, proprium matrimonii finem, tam poſt lapſum, quam ante, eſſe filiorum procreationem: licet impropriè dici poſſit, illud poſt lapſum eſſe inſtitutum in remedium incontinentiæ; quia nempe carnalis libido, quæ per peccatum irrepſit, ita per matrimonium excuſatur, ut congreſſus incontinentiæ cauſa initus tantum ſit veniale peccatum, qui extra matrimonii limites futurus erat omnino damnabilis.

At videamus modo, num matrimonium ratione aliqua ſub præcepto cadat? Hac de re Seraph. Doctor in 4. d. 26. a. 1. q. 3. ſcribit, *quod prima inſtitutio matrimonii præceptum habuit; & præceptum illud fuit affirmativum, & fuit juris naturalis. Sed attendendum, quod jus naturale quædam dictat ſimpliciter, quædam ſecundum tempus. Simpliciter, ut Deum amandum. Secundum tempus, ut omnia eſſe communia. Dico ergo, quod præceptum de uſu matrimonii fuit naturale ſecundo modo, quia quamdiu pauci erant, dictabat jus naturale, quod multiplicanda eſſet proles ad cultum Dei. Sed ceſſante iſto ſtatu, ceſſavit præceptum: & ideo inſtitutio ſecunda tempore legis gratiæ habuit indulgentiam, non præceptum.*

Itaque in Mundi exordio lege naturæ tenebantur omnes ad ineunda conjugia. donec huma-

manum genus ad certum aliquem numerum perveniret. Cujus rei ratio ex S. Bonaventura ibidem & ex Theologis aliis eſt, quia ſicuti eſt naturæ præceptum, ut quiſquis ſe in individuo alimenti ſumptione conſervet; ita ejuſdem naturæ præceptum eſt, ut ſobolis propagatione ſpecies conſervetur, quod fieri licite non niſi in matrimonio poteſt.

Idem affirmandum eſt de tempore, quod proxime conſecutum eſt univerſale diluvium; quando Dominus Gen. 9. v. 1. iterum hominibus benedixit, ſicut ab initio fecerat, illa futuræ propagationis promiſſione, *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*. Ipſumque præceptum viguit, cum poſtquam Dei populus ſeparatus fuit a gentibus, & exiguo numero adhuc exiſteret, ad Dei cultum carnali propagatione multiplicandus erat. Vide S. Auguſtinum in lib. de bono conjugali cap. 9. & 15. necnon lib. de bono viduitatis c. 7. Sufficienter autem Dei populo propagato, non amplius tenebantur ſinguli ad contrahenda conjugia; quod Eſtius, Gotti, Berti, aliique demonſtrant exemplo Joſue, Eliæ, Eliſei, & Jeremiæ, qui ſine divinæ & naturalis legis injuria caſti cœlibeſque vixerunt.

Inſtituta tandem Evangelica lege non urget matrimonii præceptum, nec in particulari quemquam obſtringit. Ut enim inquit Auguſtinus de bono conjugali cap. 9. *Nunc vero cum ad ineundam ſanctam & ſinceram ſocietatem undique ex omnibus gentibus copia ſpiritalis cognationis exuberet, etiam propter ſolos filios connubia copulare cupientes, ut ampliore continentiæ bono potius utantur admonendi ſunt*. Unde & Chriſtus

ſus Matth. 19. v. 12. continentiam commendans, inquit: *Sunt eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere, capiat.* Item Apoſtolus in 1. ad Cor. 7. v. 38. virginitatem matrimonio præferens, ait: *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit; & qui non jungit, melius facit.*

Tenentur tamen ad nuptias, qui cum adhuc eaſdem ineundi poteſtatem habeant, conſilium continentiæ ſectari non valent: nam, ut dicit Apoſtolus in 1. ad Cor. 7. v. 9. *Melius eſt nubere, quam uri.* Qui vero ob continentiæ votum nequeunt matrimonium contrahere, ſanctiora alia debent adhibere remedia, quibus hoc tantum bonum adjuvante Dei gratia conſequantur. Viri denique principes ad conjugium obligantur, ſi avertere per illud poſſint reipublicæ exitium, maximumque Chriſtianæ fidei detrimentum.

CAPUT II.

An Chriſtus in Evangelica lege Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexerit?

PRopoſitio affirmativa: eſt contra Novatores.

Probatur. Apoſtolus ad Epheſ. c. 5. v. 25. ſcribit: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea*. Et v. 32. ſubjungit: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*. Ex quibus duo argumenta formantur: I. Conjugati ita ſe invicem diligere debent, ſicuti Chriſtus dilexit Eccleſiam; atque id maxime præſtare tenentur, qui Chriſtiano ritu conjugium ineunt; nam eo loci de his præcipue loquitur Apoſtolus: Atqui Chriſtus dilexit Eccleſiam; non dumtaxat humanæ carnis aſſumptione, verum etiam, ut illam ſibi immaculatam exhiberet & ſanctam; ſicuti Paulus ibidem ait. Ergo qui Chriſtiano ritu matrimonium contrahunt, tali debent nexu uniri, ut invicem ſancti ficentur; & Deus illos conjungens, gratiam impertitur; qua nempe ſe diligant non ſolum propter procreationem filiorum; ad quem profecto naturalem amorem infideles etiam obligantur; ſed inſuper ad ſempiternæ vitæ conſecutionem, quod Chriſtianorum eſt proprium.

Con-

Conſimile eſt huic alterum argumentum: Uti docet Apoſtolus, Matrimonium ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia: Iſthæc vero conjunctio non eſt ſolum per humanæ naturæ conſortium, verum & per charitatem & gratiam: Ergo matrimonium non ſolum carnali vinculo, ſed etiam in charitate & gratia copulat contrahentes.

Ex his itaque patet, Matrimonium in nova lege a Chriſto fuiſſe ad Sacramenti dignitatem evectume; quod & Tridentina Synodus indicat ita ſcribns in ſeſſ. 24. cap. unjco: *Gratiam, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, conjugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus venerabilium Sacramentorum inſtitutor atque perfector, ſua nobis paſſione promeruit: quod Paulus Apoſtolus innuit dicens*, Viri diligite uxores veſtras, &c. *mox ſubjungens*, Sacramentum hoc magnum eſt, &c. Lege quæ de hoc argumento habent inter alios Gotti, & Berti.

Accedit & conſtans SS. Patrum traditio. Scribit enim Ambroſius in lib. 1. de Abraham c. 7. *Cognoſcimus velut præſulem cuſtodemque conjugii eſſe Deum, qui non patiatur alienum torum pollui; & ſi qui fecerit, peccare in Deum, cujus legem violet, gratiam ſolvat: & ideo quia in Deum peccat, ſacramenti cœleſtis amittit conſortium.*

Innocentius I. in epiſt. 9. ad Protum loquens de illius matrimonio, qui legitima uxore in captivitatem perducta, ſibi alteram copulaverat, *Statuimus*, inquit, *fide catholica ſuffragante illud eſſe conjugium, quod primitus erat gratia divina fundatum: conventumque ſecundæ mulie-*

ris, priore ſuperſtite, nec divortio ejecta, nullo pacto poſſe eſſe legitimum.

Item Auguſtinus pluribus in locis affirmat Matrimonium Chriſtiano ritu celebratum eſſe verum ac proprium Sacramentum, ſed præcipue in lib. de bono conjug. c. 24. in connubiis Fidelium tria diſtinguit, inquiens: *Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate Sacramenti.* Quo in loco, ſicut & alibi S. Doctor Sacramenti vocabulum ſtrictim accipit, tum quia ſolis Fidelium conjugiis illud attribuit, tum quia eo nomine aliquid aliud præter corporum conjunctionem, maritalemque fidem intelligit.

Sed ut brevitati conſulamus, vide Cyrillum lib. 2. in Joan. Epiphanium in hær. 67. Maximum hom. 1. de Epiphania, aliosque, quibus ſacrorum Conciliorum conſentit auctoritas; uti conſtat ex dictis in lib. 24. c. 7. quibus adjunge Tridentinum canonem 1. in ſeſſ. 24. *Si quis dixerit, matrimonium non eſſe vere & proprie unum ex ſeptem legis Evangelicæ Sacramentis a Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum; neque gratiam conferre; anathema ſit.*

Objicies 1. Novæ legis Sacramenta ex Chriſti inſtitutione habent ſupernaturalem ſignificationem: atqui matrimonium naturalem dumtaxat, humanamque ſignificationem habet: ergo &c. Probatur minor 1. quia matrimonium Chriſtianorum ab ethnicorum matrimonio in nulla re differt: 2. quia ſi ethnicus videat Chriſtianos matrimonium contrahentes, & verba audiat

diat quæ illi pronunciant, facile percipit quid agatur: ſi tamen puerum baptizari videret, non caperet quid tali fieret actione, etiamſi totum Baptiſmi ritum aſpiceret; quod in aliis quoque accidit Sacramentis.

Reſp. minorem veram eſſe, ſpectato matrimonio ſub ratione contractus humani: ſic enim ſolum ſignificat corporum unionem ad ſobolem procreandam; quo in reſpectu Chriſtianorum ethnicorumque matrimonia inter ſe convenire non diffitemur. At in Chriſtianorum matrimoniis ſignificatur ulterius & efficitur interna conjunctio animorum per ſupernaturalem charitatem; & in hac practica ſignificatione ratio veri Sacramenti conſiſtit, illamque non facilius capit ethnicus, quam Baptiſmi aliorumque Sacramentorum ſignificantiam & virtutem.

Objicies 2. Sacramenta gratiam conferunt, dum perficiuntur: atqui matrimonium non confert gratiam dum carnalis exercetur copula per quam perficitur.

Deinde a Sacramento ejuſque gratia nemo eſt repellendus: at Eccleſia ſacras virgines, monachos, ſacriſque ordinationibus initiatos a matrimonio contrahendo repellit.

Præterea non poteſt id eſſe Sacramentum, a quo melius eſt abſtinere: ita vero eſt matrimonium, cum in 1. ad Cor. 7. v. 38. ſcribat Apoſtolus: *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit; & qui non jungit, melius facit.*

Reſp. gratiam per Sacramenta conferri, dum hæc perficiuntur intrinſecus; dum nempe materia, & forma ponuntur. Carnalis autem copula non ita matrimonium perficit; eſt enim verus contractus, verumque Sacramentum, eti-

amſi copula non ſequatur. Perficit itaque extrinſecus ſolum; quia copula magis indiſſolubile matrimonium reddit, expreſſiuſque ſignificat Chriſti cum Eccleſia conjunctionem non in charitate dumtaxat, ſed etiam in conformitate naturæ. Eſſentialis autem integritas ad matrimonium pertinens, in charitate, & animorum unione conſiſtit.

Ad 2. Nonnullos idcirco a conjugiis arcet Eccleſia, quia matrimonium ut officium naturæ eſt, ſecum affert terrenarum rerum ſolicitudinem, & impedimenta Dominum obſecrandi; & ex alia parte qui monaſticam & clericalem vitam eligunt (ad quam nulla Eccleſiaſtica lege coguntur), non ea gratia indigent, quæ conjugibus confertur ad matrimonii onera pie ſanctèque ferenda.

Ad 3. Melius quidem eſt a matrimonio abſtinere, non quatenus illud eſt Sacramentum, ſed prout eſt quidam ſtatus ſtatu continentiæ imperfectior: nam qui matrimonio juncti non ſunt, ſine affectuum diviſione cogitant quæ Domini ſunt; ut ibidem ait Apoſtolus.

Objicies 3. Sententiarum Magiſter in 4. d. 2. negat matrimonio vim conferendi *gratiam adjutricem*, ſed illud *in remedium tantum* inſtitutum fuiſſe pronunciat. Durandus etiam in 4. d. 26. q. 3. inficiatur in matrimonio gratiam ex opere operato conferri, ſicut in aliis novæ legis Sacramentis. Hanc quoque ſententiam tenuere nonnulli Theologi, de quibus S. Bonaventura in citata diſt. a. 2. q. 2. His adhæſere plures Jureconſulti putantes idcirco fas eſſe in matrimoniis paciſci de dote, quoniam non ſunt Sacramenta. Recens eſt ergo, & ab

he-

hominibus adinventa doctrina quæ tradit, inter novæ legis Sacramenta etiam matrimonium eſſe locandum.

Reſp. ſemper ab Apoſtolorum ætate ad hæc uſque tempora Eccleſiam credidiſſe, quod matrimonium ſit verum propriumque legis Evangelicæ Sacramentum, prout docet Majorum noſtrorum traditio: ſed quoniam hæc, nemine veritatem oppugnante, præter hæreticos qui nuptias tanquam diaboli opus damnarunt, non obverſabatur oculis Scriptorum omnium; idcirco perpauci ab ipſa traditione devii non recte undequaque de hoc Sacramento ſenſerunt.

Ceterum juxta quorundam interpretationem, dum Magiſter ait matrimonium inſtitutum fuiſſe *ad remedium*, ſcilicet ad vitanda peccata, quæ ex carnali concupiſcentia oriuntur, intelligendus eſt de fine ejuſdem inſtitutionis; ad cujus tamen confecutionem Sacramenti virtus, gratia nempe, requiritur. Lege Eſtium in 4. d. 26. §. 9. & Berti lib. 37. c. 2.

Durandus citato in loco fatetur longe communiorem inter Theologos ſui temporis fuiſſe ſententiam, *quod per ſacramentum matrimonii confertur gratia, niſi contrahentes ponant obicem, ſicut fit in aliis ſacramentis*. Ita etiam Jureconſultos paſſim affirmaſſe conſtat ex Navarro in Enchir. cap. 22. n. 20.

Neque tandem ratio adjuncta concludit. Illud enim pactum non ſpectat matrimonium, prout eſt Sacramentum, ſed ut eſt contractus civilis, officiumque naturæ; ac refertur ad onera matrimonii, non ad gratiam Sacramenti. Unde citato in loco ſcribit Seraph. Doctor, quod matrimonio *multa temporalia ſunt adjuncta*,

ℰa, ut mutua educatio, & filiorum enutritio, & alia plura: & ideo licet dotes accipere.

Quærunt hoc loco Theologi, quonam præciſe tempore matrimonii Sacramentum fuerit inſtitutum; eorumque nonnulli illud in paradiſo primum a Deo inſtitutum ſentiunt, a Chriſto autem tantummodo confirmatum. Alii vero tunc a Chriſto inſtitutum autumant, cum dixit Matth. 19. v. 6. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Complures denique illud inſtitutionis tempus aſſignant, quo nuptiis in Cana Galilææ Chriſtus interfuit, eiſdemque benedictionem impendit.

At prior opinio nulla ſatis firma ratione fulcitur, ut patet ex dictis in lib. 24. c. 5. Idem judicium de ſecunda opinione proferimus: Nam ex adductis Chriſti verbis tantum infertur, illum ſublata polygamia abrogaſſe repudii conſuetudinem, revocando conjugia ad arctiſſimum vinculum, quod Deus ab initio eis ineſſe voluit, dum in paradiſo maſculum fœminamque creavit, ipſoſque in officium naturæ conjunxit. Ita pariter ex eo quod Chriſtus nuptiis adfuit, ſequitur utique, licitam honeſtamque rem eſſe matrimonium, & præſignatam tunc Sacramenti hujuſce inſtitutionem; non vero aperte deducitur, eo tempore Chriſtum Dominum gratiam ex opere operato conferendam alligaſſe conjugiis. Supereſt igitur, ut probabiliter opinando dicamus, matrimonium a Chriſto poſt reſurrectionem ſuam ad Sacramenti dignitatem evectum. Lege quæ ſcripſimus in lib. 24. c. 8.

CA-

CAPUT III.

Ubi de Matrimonii materia, ac forma diſſeritur.

DIximus in lib. 24. c. 2. quodlibet legis Evangelicæ Sacramentum materia formaque conſtare; per comparationem ſcilicet ex phyſica rerum natura deductam. Matrimonium itaque ſua materia, & forma perficitur. Duplex autem eſt ejus materia; remota nimirum, & proxima. Remota ſunt ipſæ diverſi ſexus perſonæ contrahentes nullis obſtrictæ impedimentis, quæ ſibi invicem tradunt ſuorum corporum poteſtatem. Proxima vero materia ſunt ſenſibiles actus, quibus contrahentes perſonæ mutuum conſenſum exterius manifeſtant, ut jus in propria corpora transferant, & acta in illa, quantum ad uſum conjugii pertinet, dominium poteſtatemque ſibi invicem tradant. Ejuſdem denique Sacramenti forma a quibuſdam Theologis reponitur in verbis, vel nutibus, quibus contrahentes mutuo ſuorum corporum traditionem acceptant; ab aliis vero ſtatuitur in verbis Sacerdotis, *Ego vos conjungo in matrimonium, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen.*

De remota matrimonii materia inferius tractabimus, quum de perſonis ad illud contrahendum idoneis diſſeremus. Quid inſuper de forma ſentiamus, patebit ex iis, quæ paulo in-

inferius de hujus Sacramenti Miniſtro dicentur. Hoc autem in loco quædam dubia diluenda proponimus, ut proximam matrimonialis contractus materiam exponamus. Eſto itaque

I. dubium. An neceſſarius ſit utriuſque conjugis conſenſus ad matrimonium valide contrahendum?

Reſp. maxime. Non enim cujuſquam bona poſſunt in alterius tranſire dominium, niſi vel cogente lege, vel ipſius domini accedente conſenſu: cum igitur nulla cogente lege poteſtas mutua corporum in matrimonio transferatur, conſequens profecto eſt, id non aliter quam mutuo contrahentium conſenſu contingere. Unde S. Thomas, & S. Bonaventura, & Ven. Scotus aſſeruerunt conjugum conſenſum eſſe efficientem matrimonii cauſam. Florentinum quoque Concilium in Decreto Unionis ait: *Cauſa efficiens Matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus*. Vide etiam Eſtium, Tournely, Gotti, aliosque.

Sed dices. Matrimonium divinam inſtitutionem agnoſcit: non ergo ab humano conſenſu dependet. Deinde idem nequit eſſe cauſa ſui ipſius efficiens: atqui matrimonium nihil aliud eſſe videtur, quam conſenſus; quia conſenſus ipſe ſignificat Chriſti cum Eccleſia conjunctionem: non ergo conſenſus, &c.

Reſp. ad 1. cum S. Thoma in ſuppl. q.45. a.1. ad. 1. *quod ſacramentorum prima cauſa eſt divina virtus, quæ in eis operatur ſalutem: ſed cauſæ ſecundæ, ſive inſtrumentales, ſunt materiales operationes, ex divina inſtitutione efficaciam habentes, & ſic conſenſus in matrimonio eſt cauſa*. Idem quoque reponit S. Bonaventura in 4. d. 27. a. 2. q. 1.

Ad

Ad 2. reſpondet ibidem Doctor Angel. ad 2., *quod matrimonium non eſt ipſe conſenſus, ſed quædam unio ordinatorum ad unum, quam conſenſus facit; nec conſenſus, proprie loquendo conjunctionem Chriſti ad Eccleſiam ſignificat, ſed voluntatem ejus, qua factum eſt ut Eccleſiæ conjungeretur.*

II. Oportetne, ut conſenſus exterius exprimatur?

Reſp. affirmative. Ut enim inquit S. Bonaventura in 4. d. 28. a. 1. q. 4. *ad omnis ſacramenti eſſe neceſſario requiritur ſignatio, ſive expreſſio. Omne enim ſacramentum ſignum eſt, & ut ſignum adminiſtratur; & ideo iſtud eſt neceſſarium: ſed in aliquibus eſt materia determinata, & forma verborum præſcripta, quæ vim habent ſibi ad hoc datam: & talia ſacramenta nunquam fiunt, niſi illa verba pronuncientur. In aliquibus autem non venit vis a verbo exteriori, ſed ab intrinſeco, ut in pœnitentia quantum ad confeſſionem, & in matrimonio: & in talibus ſufficit qualiſcumque fiat expreſſio, ſive verbo, ſive ſcripto, ſive etiam quocumque nutu alio. Concedendum eſt igitur, quod matrimonium non contrahitur, niſi conſenſus exterius exprimatur, vel per verba convenientia, vel per nutus idem importantes.*

Id præterea exigit natura contractus, in quo oportet ut mutua traditio, & acceptatio exterius innoteſcat. Unde Angel. Doctor in ſuppl. q. 45. a. 2. ſcribit: *Conjunctio matrimonialis fit da modum obligationis in contractibus materialibus, & quia materiales contractus non poſſunt fieri, niſi ſibi invicem voluntatem ſuam verbis promant, qui contractum faciunt; ideo etiam oportet, quod con-*

conſenſus matrimonium faciens verbis exprimatur, ut expreſſio verborum ſe habeat ad matrimonium, ſicut ablutio exterior ad baptiſmum.

Dices. Sicuti per matrimonium homo in alterius poteſtatem redigitur, ita quoque per votum: atqui votum Deo hominem obligat, etiam ſine expreſſione verborum: ergo &c.

Reſp. cum S. Bonaventura in loco citato, *quod non eſt ſimile propter duas rationes. Una, quia votum non eſt ſacramentum, per quod obligetur homo homini. Alia, quia per votum obligat ſe homo Deo, ad quem cogitare eſt loqui: Matrimonium autem eſt ſacramentum, per quod obligatur homo homini;* cui voluntas, niſi exterius manifeſtetur, nota eſſe non poteſt.

III. Quibuſne verbis exprimendus eſt conſenſus?

Reſp. per verba *de præſenti*. Unde S. Bonaventura ait in 4. d. 28. a. 1. q. 1. *Conſenſus non facit matrimonium, niſi exprimatur per verba de præſenti. Si enim exprimatur per verba de futuro, in veritate non eſt conſenſus tunc, ſed promiſſio de conſentiendo. Unde ſi dicat quis,* Ego conſentiam in te; *tunc quidem non conſentit, ſed ſe conſenſurum promittit: & quia non eſt ibi conſenſus, ideo non eſt matrimonii contractio; quia vero eſt promiſſio, ideo eſt obligatio; propterea non matrimonium, ſed ſponſalia debent dici. Et hæc quidem firmata ſunt, quando ſimplici promiſſioni additur juramentum. Secundum enim jura cogendus eſt vir, ut mulierem accipiat in uxorem, niſi aliquis caſus interveniat, qui ſolvat ſponſalia.* Docet id etiam S. Thomas in citata q. a. 3. conſentitque Florentina Synodus in Decreto Unionis.

Ob-

Objicies. Sicut ſe habet præſens ad præſens, ita futurum ad futurum: ſed conſenſus de præſenti facit matrimonium in præſenti: ergo conſenſus de futuro facit matrimonium in futuro.

Reſpondet S. Bonaventura, *quod verum eſt. Unde ſicut ſi conſentit hodie, fit hodie matrimonium; ſic ſi conſentit cras, fit cras. Sed cum nunc dicit de futuro, non conſentit, ſed conſentire promittit: & ideo non fit matrimonium, nec de præſenti, nec de futuro; ſed ſolum ſponſalia contrahuntur.*

IV. An conſenſus ſimulatus fictuſque ad matrimonium contrahendum ſufficiat?

Reſp. cum S. Bonaventura in 4. d. 27. a. 2. q. 2. *quod eſt loqui de matrimonio dupliciter. Aut in foro, ſeu facie Eccleſiæ, aut in foro conſcientiæ; ſecundum duplex forum, ſcilicet judiciale, & pœnitentiale: & ſecundum hoc eſt dupliciter judicare; quia in foro judiciali judicatur ſecundum allegata, in foro pœnitentiali ſecundum veritatem, & conſcientiam. Si ergo in foro pœnitentiali loquamur, quia hoc eſt judicium ſecundum veritatem, & in conſpectu Dei; dicendum quod ſicut dicunt Doctores noſtri, nec eſt matrimonium, nec matrimonium judicandum. Et cum hujus ſit multiplex ratio, hæc tamen eſt præcipua, quia in omnibus ſacramentis requiritur intentio voluntaria faciendi, quod facit Eccleſia: quia ergo talis ſecundum veritatem non intendebat contrahere matrimonium, non fuit, nec eſt ſacramentum.*

Si autem loquamur in foro judiciali, ubi ſecundum allegata oportet judicari; ſi probari poteſt conſenſus per verba exteriora, in quibus non apparuit evidens dolus, matrimonium judicatur: ſed

ſed tamen Eccleſia decipitur. Sed non eſt deceptio contra juſtitiam, quia non eſt ibi ignorantia juris, ſed facti. Ergo ſi ſit conſenſus exterior ſine interiori, non eſt matrimonium ſecundum veritatem, nec ſecundum divinum judicium, nec ſecundum conſcientiæ forum; quamvis eſſe videatur, & judicetur ſecundum judicium Eccleſiaſticum. Eadem quoque Angelici Doctoris ſententia eſt, quam Theologi plures gravioresque tuentur, quamque nos alibi propugnavimus. Recole quæ diximus in lib. 24. c. 10. & quæ habet S. Thomas in q. 45. ſupplem. a. 4.

V. An filii matrimonia contrahere valeant abſque ſuorum aſſenſu parentum?

Reſp. 1. valida rataque eſſe ejuſmodi conjugia, uti decrevit etiam Tridentina Synodus in ſeſſ. 24. cap. 1. de Reformat. Matrim. ubi anathemate ferit eos, *qui falſo affirmant matrimonia a filiisfamilias ſine parentum conſenſu contracta irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe*. Hujus autem rei præcipua ratio eſt, quod non poſſit filiis tolli libertas, quam habent ab ipſa natura; atque in iis, quæ ad ſtatum capeſſendum pertinent, filii parentibus pares ſunt, nec illorum poteſtati ſubduntur. Divini præterea juris inſtitutio eſt, ut homo patrem matremque relinquat, & uxori ſuæ adhæreat, non autem ut ab uxore ducenda abſtineat, ne a parentibus ſejungatur. Denique neque Chriſtus, neque Apoſtoli filiorum conjugia ſine parentum conſenſu contracta tanquam irrita declararunt.

Reſp. 2. Illicita plerumque ſunt matrimonia liberorum inita abſque conſenſu parentum. Poſtulat

lat enim honor parentibus debitus, ne quid magnum, cujuſmodi imprimis eſt conjugium, aggrediantur filii ſine illorum conſilio & conſenſu. Hinc S. Ambroſius in lib. 1. de Abraham cap. ult. de Rebecca loquens, eidem adaptat quæ Euripides in Andromacha habet: *Sponſalium quidem meorum pater meus curam ſubibit; hoc enim non eſt meum*.

Ceterum poteſt filius inſciis aliquando parentibus inire conjugium; ut ſi procul ab illis eſſet, & matrimonium utile ac dignum urgeret: poſſet enim tunc recte contrahere, parentum præſumendo conſenſum. Poteſt præterea quandoque ipſis invitis nuptias inire, quin peccet; ut puta, ſi mulierem pollicitatione matrimonii vitiaſſet, aut ſtupri conſuetudinem cum illa haberet, non teneretur patri invito & reluctanti obtemperare, ſed potius illatam reparare injuriam, implere promiſſa, & propriæ ſaluti ac alienæ famæ conſulere. Sed lege Eſtium, Gotti, Berti, alioſque Theologos, ac præſertim S. Thomam in ſuppl. q. 47. a. 6. & S. Bonaventuram in 4. d. 29. a. 1. q. 3.

VI. Num ut validus ſit matrimonialis contractus, neceſſario requiratur conſenſus in carnale commercium?

Reſp. minime. Sufficit enim ad matrimonium conjunctio duarum perſonarum diverſi ſexus, per quam ineant individuam vitæ conſuetudinem; ita namque a Theologis matrimonium definitur. Ad hujuſmodi vero conjunctionem non requiritur conſenſio in corporum commixtionem. Nam inter Beatiſſimam Virginem Mariam, & S. Joſeph verum interceſſit conjugium; & tamen illa ſe voto virginitatis ob-

obſtrinxerat, & quidem ante deſponſationem, nec ſub conditione, ſed abſolute: (vide Ven. Scotum in 4. d. 30. q. 2.) Cum tali autem voto conſiſtere nequit conſenſus in carnale commercium. Talis ergo conſenſus non eſt neceſſarius ad contractus matrimonialis eſſentiam, Lege S. Bonaventuram in 4. d. 28. p. 1. a. 1. q. 6. & d. 30. a. 1. q. 2. præclare hac de re diſputantem; neque prætereas P. Berti in lib. 37. c. 3. prop. 1. & 2. erudite ac prolixe de eodem argumento dicentem.

Et profecto, quamvis ad individuam vitæ ſocietatem, in qua ſitum eſt matrimonii vinculum, requiratur etiam unius conjugis in corpus alterius dominium & poteſtas; dominium tamen ipſum ſeparari poteſt ab uſu: quod conſtat tum in ſenibus, qui effœta ætate corporibus agere nequeunt quod juvenes agebant, & in iis, qui poſt connubii jura cœlibem vitam ducere ex communi conſenſu deliberant; tum in contractibus ſingulis, in quibus fit translatio *dominii proprietatis* abſque translatione *dominii utilis*; uti conſtat exemplo venditionis aut donationis prædii, cujus qui vendit aut donat, ſibi uſum ad mortem uſque reſervet. At rerum, quæ ſeparari poſſunt, talis eſt conditio, ut una intendi poſſit ſine altera. Igitur conjuges poſſunt intendere alter in alterum translationem dominii in proprium corpus, eamque aſſenſu firmiſſimo ſtabilire, etiamſi ejuſdem poteſtatis uſum & exercitium non intendant.

Dices. Inter fratrem & ſororem non poteſt licite contrahi matrimonium: atqui frater & ſoror conſentire in omnibus poſſunt, in quibus

bus vir & uxor conſentiunt, excepta dumtaxat carnali copula: ad matrimonium itaque neceſſario requiritur, &c.

Reſp. cum S. Bonaventura in 4. d. 28. a. 1. q. 6. negando minorem: *non enim poſſunt ſibi ſuorum corporum dare mutuam poteſtatem, Unde alter poteſt alii nubere, altero contradicente*. Etſi autem mutua corporum poteſtas ex ſeſe ad carnalem copulam ordinetur, *non tamen de neceſſitate*; ut ibidem aſſerit S. Doctor, apud quem alia ad matrimonialem contractum ſpectantia legere non te pigeat.

CAPUT IV.

De hujus Sacramenti Miniſtro: Ubi etiam breviter agitur de Matrimonio inito inter abſentes.

ANtiqui Scholæ Doctores poſt S. Thomam, S. Bonaventuram, ac Ven. Scotum communi conſenſione dixerunt, miniſtros ſacramenti matrimonii eſſe contrahentes; Sacerdotis autem benedictionem, ac verba eſſe *ſacramentale quoddam*, ritumque ad ſacramenti ſubſtantiam minime pertinentem. Hanc ſententiam amplectuntur plures etiam recentiores, quos inter ſunt Bellarminus, De Lauræa, Gotti, Berti, aliique doctrina & eruditione percelebres. At plures alii non ignobiles Theologi, ut Canus, Cajetanus, Eſtius, &c. ſentiunt, mi-

niſtrum matrimonii, in quantum eſt ſacramentum, eſſe Sacerdotem, hujuſque benedictione ipſum matrimonium ad ſacramenti dignitatem attolli: hinc in verbis illis matrimonii formam collocant: *Ego vos conjungo, &c.*

Propoſitio. Probabilior nobis videtur opinio, quæ miniſtros Sacramenti matrimonii eſſe contrahentes affirmat.

Probatur. Matrimonia clandeſtina, aliquot ſaltem ante Tridentinam Synodum ſeculis, firmitate minime caruiſſe, ipſimet Tridentini Patres hiſce verbis declararunt in Decreto de Reformat. Matr. c. 1. *Tametſi dubitandum non eſt, clandeſtina matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata, & vera eſſe matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit; & proinde jure damnandi ſint illi, ut eos ſancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata eſſe negant, &c.* Atqui nunquam Tridentini Patres matrimonia clandeſtina dixiſſent *vera, ac rata*, niſi credidiſſent pariter, ea eſſe vera ſacramenta. Uti enim recte perpendit Bellarminus in lib. 1. de Matrim. c. 7. ſapientiſſimis illis Patribus notum erat, a ſacris Canonibus, quibus ſuum loquendi modum conformaſſe præſumendum eſt, ea tantum matrimonia dici *vera, ac rata*, quæ non ſolum ſunt contractus civiles, ſed etiam ſacramenta religionis; quod potiſſimum diſcimus ab Innocentio III. in cap. *Quanto*, de Divortiis, ubi ait: *Etſi matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum: inter fideles autem verum, & ratum exiſtit, quia ſacramentum fidei, quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur, ſed ratum efficit conjugii ſacramentum.* Ergo matrimonium clan-

clandeſtinum, illud nempe quod ſine Sacerdotis præſentia clanculum contrahitur, fuit aliquando Sacramentum; proindeque illius miniſtri fuere contrahentes, non vero Sacerdos: id ipſum igitur pro præſenti tempore dicendum eſt, cum inſtitutio miniſtri Sacramentorum non Eccleſiæ, ſed ſoli Chriſto eorum auctori conveniat.

Præterea, eadem Synodus decretum ſuum, quo matrimonia clandeſtina irrita declaravit, robur habere noluit, niſi poſt triginta dies a die primæ ejuſdem publicationis in unaquaque Parochia factæ numerandos; ergo etiam nunc matrimonia illa ſunt *vera & rata*, in locis, in quibus prædictum decretum nunquam fuit promulgatum: adeoque nunc etiam alicubi vera ſunt ſacramenta, licet Sacerdotis præſentia deſit.

Tandem, in locis, in quibus Tridentinum jam eſt promulgatum, non raro contingit, virum, & feminam matrimonium inter ſe contracturos, inopinantem Parochum adire, & coram eo, quamvis invito, & reluctante, ac duobus teſtibus, ibidem fortuito adſtantibus, mutuum in conjugium conſenſum exprimere, atque inde ſtatim ſe ſubducere, quin Parochus ullum, niſi fortaſſe objurgationis, verbum protulerit. Ejuſmodi vero matrimonium non tantum in ratione contractus eſt validum, ſed & verum eſt Sacramentum: alioquin ne ſic copulati Fideles perpetuo carerent gratia, quæ in contrahentes ex Sacramento matrimonii derivatur, deberet Eccleſia illos compellere, aut ſaltem hortari, atque inducere ad ſuum contractum legitime, conſuetiſque ſacris ritibus, iterum renovandum coram eodem Parocho, cujus ver-

bis fiat Sacramentum; atque, ob eandem rationem, coram Sacerdote aut præciperet, aut ſaltem inſtaurari curaret clandeſtina conjugia, in locis inita, ubi Tridentini decretum non eſt receptum, ſi vera ſacramenta non eſſent. Cum autem in neutro caſu conjugii renovationem urgeri ab Eccleſiâ videamus, non temere inde conjicimus, utrumque contractum, quamquam Sacerdotis benedictione non obſignatum, jam ab eadem Eccleſia pro Sacramento haberi. Lege Benedictum XIV. in lib. 8. de Synodo Diœceſana cap. 13. argumentum iſtud docte erudite que verſantem; necnon Card. Gotti in q. 2. de matrim. dubioſ. §. 2., & P. Berti lib. 37. c. 10.

Ad hæc accedit, quod Florentina Synodus in Decreto Unionis ait: *Cauſa efficiens matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus*. Hæc autem verba a contrahentibus proferuntur: Iidem ergo contrahentes ſunt, qui verbis ſuis mutuum conſenſum exprimentibus efficiunt Sacramentum; adeoque ſunt ejuſdem Sacramenti miniſtri. Neque vero argumentum iſtud diluunt, qui reſpondent, agi in eo decreto de matrimonio, *ut contractu*; cum potius evidens ſit pertractare Eugenium de Sacramentis Eccleſiæ, doctrinamque matrimonii ſub hac ratione proponere, paragraphum illum incipiens, *Septimum eſt Sacramentum matrimonii*.

Objicies 1. SS. Patres paſſim affirmant, Sacerdotum benedictione ſanctificari conjugia. Hos inter Ambroſius in epiſt. 19. ad Vigilium n. 7. ſcribit: *Cum ipſum conjugium velamine ſacerdotali, & benedictione ſanctificari oporteat, quomodo poteſt conjugium dici, ubi non eſt fidei concordia?*

Deinde quamplurima Ritualia Sacerdotem appellant hujus Sacramenti *miniſtrum*, ac præfer-

ſertim Romanum, quod in Præfat. ait, admi-niſtrationem hujus Sacramenti ad Parochum pertinere. Ita quoque Concilia docent, & præcipue Cameracenſe anno 1565, Rhemenſe anno 1583. Mechlinienſe anno 1607. aliaque plura, quibus præivit Colonienſe anno 1536. parte 7. c. 40. ita de matrimonio ſcribens: *Quod ſacramentum ſi quis, ſicut decet, acceperit, ſaccedente ſacerdotali precatione, confert donum Spiritus*. Ergo Sacerdos eſt hujus Sacramenti miniſter, ſi gratia Spiritus Sancti per ejus preces, ſive verba confertur.

Tridentina præterea Synodus in ſeſſ. 24. de Reform. Matrim. c. 1. præſcribit Parocho, ut explorata conjugum voluntate dicat: *Ego vos conjungo, &c.* Cum itaque Parochus non conjungat virum & mulierem *in ratione contractus*, cumque ea verba expreſſum habeant obviumque ſenſum; dicendum profecto eſt, illum *in ratione ſacramenti* vere proprieque conjungere.

Reſp. ad 1. ex Patrum teſtimoniis aliud non inferri, niſi quod nuptiæ in faciem Eccleſiæ ſint celebrandæ, ut a nefariis contuberniis ſecernantur, & ſolemnitate atque benedictione ſacrorum Miniſtrorum firmiorem nexum, & Chriſtianam honeſtatem acquirant. Enimvero Patres eadem ratione deteſtantur nuptias occulte a Sacerdote benedictas, ut conſtat ex cap. *Nullus*, xxx.q.5. ac Turonenſe Concilium ſub Nicolao V. cap. 12., aliique Canones eaſdem nuptias clam a Sacerdote benedictas prohibent ſub pœna excommunicationis; quamquam eo in caſu, juxta oppoſitam opinionem, non deſit verus Sacramenti miniſter. Poſtremo quemadmodum ex Ambroſii verbis concludi non poteſt ſacerdotale ve-

tamen ad Sacramenti ſubſtantiam pertinet; ita neque deduci poteſt ſacerdotalem benedictionem ad ejuſdem ſpectare ſubſtantiam.

Ad 2. Parochus dicitur miniſter matrimonii, quoniam eſt miniſter ſacrorum rituum, quibus matrimonium juxta Eccleſiæ conſuetudinem celebratur; nam revera ille nuptias benedicendo miniſterium ſuum præbet & exhibet Sacramento. Quæ quidem benedictio licet gratiam ex opere operato non conferat, ſi tamen defuerit, gratia non confertur, quia præceptum Eccleſiæ non ſervatur.

Ad 3. Ea Sacerdotis verba, *Ego vos conjungo, &c.* tametſi indiſſolubilem matrimonii conjunctionem videantur exprimere, quia tamen conjuges proprio conſenſu conjunctos eſſe ſupponunt, nil ſonant aliud, quam, *Ego approbo, confirmo, & benedico conjugium veſtrum.* Unde in Rituale Salisburgenſi hæc forma Parocho præſcribitur: *Matrimonium in facie Eccleſiæ inter vos, me annuente, contractum Deus confirmet, & ego illud approbo, perficio, atque ſolemnizo: In nomine Patris, &c.* Neque Tridentina Synodus univerſos Parochos ad unam eandemque formulam pronunciandam adſtringit; ſed inquit: *Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuſcujuſque provinciæ ritum.* Modo tantam varietatem S. Synodus minime toleraſſet, neque cujuslibet Provinciæ arbitrio permiſiſſet, ſi putaſſet, matrimonii Sacramentum confici per verba a Sacerdote prolata. Ex quo patet aliud eſſe ſenſum verborum illorum quæ ſacramentalem formam conſtituunt, *Ego*

te

te baptizo, *Ego te abſolvo*, *&c.* ac illorum, *Ego vos conjungo*, *&c.* quæ non ad formam pertinent, ſed ad ſolemnitatem, ſimplicemque ritum.

Objicies 2. Abſurdum eſt aſſerere, laicum, imo & feminam eſſe ordinarium Sacramenti miniſtrum: atqui id conſequens eſſet, poſita adverſa ſententia.

Reſp. quod ſi non eſt abſurdum, laicum ac mulierem ordinarios eſſe miniſtros matrimonii in ratione contractus, neque abſurdum eſt eoſdem eſſe ordinarios miniſtros matrimonii etiam quatenus illud Sacramenti rationem includit. Chriſtus enim elevans contractum matrimonialem ad dignitatem Sacramenti, ipſam contractus naturam minime immutavit; ſed ſolum ei per arctius ſanctiuſque vinculum contulit magis expreſſam ſignificantiam ſuæ cum Eccleſia unionis: ſicut igitur antea miniſtri matrimonialis contractus erant ſoli contrahentes, ita ſunt miniſtri ejuſdem, etiam ut eſt Sacramentum. Hinc in 1. ad Cor. c. 7. multa de Fidelium matrimonio ſcribens Apoſtolus, meminit quidem conſenſus conjugum, at de Sacerdote omnino nihil affirmat.

Inſtabis. Aliorum Sacramentorum miniſtri ſunt Sacerdotes: ergo ſunt & matrimonii. In aliis quoque Sacramentis alius eſt conferens, alius eſt ſuſcipiens: ergo id ipſum de matrimonio dicendum eſt. Denique miniſter Sacramenti debet illud intendere: plures autem idiotæ dum matrimonium contrahunt, non intendunt facere Sacramentum; cum neſciant ſe illius eſſe miniſtros.

Reſp. ad 1. idcirco Sacerdotem eſſe aliorum Sacramentorum miniſtrum, quoniam in illis a-

ctus ſuſcipientium, non poſſunt ponere quidquid ad perficiendum Sacramentum exigitur, puta abſolutionem a peccatis; in matrimonio autem non ita contingit. Unde Doctor Angel. in ſuppl. q. 45. a. 5. ad 2. ait: *Actus noſter in pœnitentia, quamvis ſit de eſſentia Sacramenti, non tamen eſt ſufficiens ad inducendum proximum effectum Sacramenti, ſcilicet abſolutionem a peccatis. Et ideo oportet, quod ad perfectionem Sacramenti interveniat actus Sacerdotis. Sed in matrimonio actus noſtri ſunt cauſa ſufficiens ad inducendum proximum effectum, qui eſt obligatio, quia quicumque eſt ſui juris, poteſt ſe alteri obligare; & ideo Sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio, quaſi de eſſentia Sacramenti.*

Ad 2. Sicuti vir & mulier contractum ſuſcipiunt, faciuntque; ita & Sacramentum ſuſcipiunt, & ſibi invicem adminiſtrant, quia dum Chriſtus matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexit, eidem contractus eſſentiam non ademit. Deinde ſub alia ratione contrahentes matrimonium ſuſcipiunt Sacramentum, & ſub alia ſibi conferunt: dum enim ſibi mutuo vinculum, & obligationem imponunt, Sacramentum conferunt ſibi mutuo; dum autem obligationem illam mutuo ſponte ſuſcipiunt, ſuſcipiunt Sacramentum.

Ad 3. Si qui matrimonium contrahentes ignorent ſe illius eſſe miniſtros, etſi explicite non intendant facere Sacramentum, intendunt implicite, ſi velint illo contractus actu id facere quod facit Eccleſia. Sicuti nempe atheus neſciens, imo nec credens eſſe baptiſmatis Sacramentum, ſi debitam formam ac materiam uſurpaverit, vere Sacramentum confert, quia eo actu id facere intendit, quod Eccleſia facit.

Ex

Ex dictis inferendum videtur, matrimonium initum inter abſentes ratum validumque eſſe non tantum in ratione contractus, verum etiam Sacramenti, dummodo omnia de jure ſerventur. Omne enim matrimonium inter Fideles validum in ratione contractus, ex Chriſti inſtitutione Sacramentum evaſit: atqui matrimonium inter Fideles abſentes eſt validum in ratione contractus. Minor propoſitio conſtat: nam matrimonium eſt contractus humanus: ad naturam vero cujuſcumque contractus ſpectat, ut poſſit & inter abſentes iniri. Probatur major: Nulla apparet ratio, cur Chriſtus ad Sacramenti dignitatem evexerit potius matrimonium inter præſentes, quam inter abſentes; cum in utroque adſit materia, forma, & intentio contrahentium, qui ſunt Sacramenti miniſtri. Adeſt quidem remota materia, contrahentium nempe corpora, quæ, ſicuti res aliæ, tam præſentia, quam abſentia, contractus materia eſſe poſſunt. Neque deeſt mutua corporum traditio, quæ materiæ proximæ rationem habet. Intervenit tandem mutua acceptatio, quæ ſe habet ut forma. Hæc vero omnia ſive per ſe, ſive per alium loco ſui facta, æqualiter obligant, & rata cenſentur. Id inſuper ex eo probatur, quod Eccleſia taliter contrahentes non hortatur, ut poſtmodum dum præſentes ambo ſunt, coram Parocho contractum ſuum renovent: cenſet igitur illa matrimonium inter abſentes initum Sacramenti rationem habere. Lege Gotti, Fraſſen &c.

Ut autem matrimonium per Procuratores initum, legitimum validumque cenſeatur, ſequentes ſervandæ ſunt conditiones.

Primo namque requiritur, quod procurator habeat

beat a ſuo principali ſpeciale mandatum ad contrahendum matrimonium cum certa perſona, mandatumque ſuum nequaquam excedat: 2. quod mandatum illud exequatur per ſe, & non per ſubſtitutum, niſi ſpecialis ad ſubſtituendum ei facultas fuerit a principali conceſſa: 3. quod eo tempore quo procurator contrahit, ejus poteſtas non ſit revocata; cum per revocationem ceſſet conſenſus, ſine quo matrimonium nequit firmitatem habere: idque verum eſt, licet tam procurator, quam ea, cum qua contraxit, hujuſmodi revocationem penitus ignorarent. Ita habetur ex Bonifacio VIII. in Sexto Decretalium lib. 1. tit. 19. cap. 9. quod incipit, *Procurator*. Poſt Tridentinum vero Concilium, ejuſque promulgationem quarta quoque conditio requiritur; ideſt, ut coram Parocho, ac teſtibus matrimonium a principalium perſonarum procuratoribus, ſive a principali perſona ex una parte, & a procuratore ex altera contrahatur.

Patet præterea, juxta ſententiam quam uti probabiliorem amplectimur, verba, vel ſigna exterius manifeſtata, prout mutuam traditionem ſignificant, gerere vicem materiæ proximæ; eademque verba, vel ſigna, prout ſignificant mutuam acceptationem, gerere vicem formæ. Nam matrimonium, ut eſt contractus, a reliquis civilibus contractibus non diſcrepat; neque ut Sacramentum eſt, diverſam materiam formamque a ſeipſo habet ut eſt contractus. Atqui in civilibus contractibus traditio, ut ſenſibili ſigno expreſſa, habet rationem materiæ; acceptatio vero, eodem expreſſa ſigno, formæ induit rationem; cum rei traditio habeat rationem *determinabilis*, quæ completur perficiturque

que per acceptationem, quæ per modum *determinantis* conficit finitque contractus: ergo &c.

CAPUT V.

De Matrimonii unitate, eique oppoſita polygamia.

GRæcum *polygamiæ* vocabulum, idem Latine ſignificat, ac *conjugii multiplicationem*: dividitur autem in *ſucceſſivam*, quando altero conjugum vita functo tranſit ſuperſtes ad alias nuptias; & in *ſimultaneam*, quando unus vir plures ſimul ducit uxores. Primi generis polygamiam, ſive ſecundas ulterioreſque nuptias reprobarunt Montaniſtæ, & Novatiani. Quod vero ad ſimultaneam polygamiam pertinet, Calvinus affirmat, ſemper illam naturali ac divino jure fuiſſe prohibitam, vetereſque Patriarchas ineundo cum pluribus conjugia, adulterium perpetraſſe. Contra vero Lutherus, & Anabaptiſtæ dixerunt, eam nunc quoque in Evangelica lege eſſe permiſſam.

Propoſitio 1. Secundæ ulterioreſque nuptiæ poſt alterius conjugis mortem initæ non ſunt damnandæ.

Probatur. Apoſtolus in 1. ad Cor. 7. v. 9. de non nuptis, & viduis ait: *Si non ſe continent, nubant*: & v. 39. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult nubat, tantum in Domino*. Idem etiam ſcribit ad Rom. 7. v. 2. & 3. ac in 1. ad Tim. 5. v. 14. Quod ſi ſe-

ſi ſecundæ nuptiæ mulieribus non ſunt illicitæ, neque illicitæ erunt viris; cum una eademque ratio pro utriſque ſubſiſtat.

Ita pariter docuerunt Eccleſiæ Patres. Chryſoſtomus hom. 19. in 1. ad Cor. inquit: *Secundum concedit Apoſtolus matrimonium, tantum, dicens, in Domino? Quid eſt autem, in Domino? cum temperantia, cum honeſtate*: & infra: *in primis, & ſecundis nuptiis illam, honeſtatem, perſequamur*. Ambroſius in lib. de Viduis c. 2. dicit: *Secundas nuptias Apoſtolica præcepta non damnant*. Hieronymus in epiſt. 30. ſive in Apologia pro libris ſuis contra Jovinianum ait: *Ego etiam nunc libera voce proclamo, non damnari in Eccleſia digamiam, imo nec trigamiam, & ita licere quinto, & ſexto, & ultra, quomodo & ſecundo marito nubere*. Auguſtinus in lib. de bono viduitatis c. 11. ſcribit: *Ne arbitreris vel ſecundas nuptias crimen eſſe, vel quaſcumque nuptias, cum ſint nuptiæ, malum eſſe*. Alias SS. Patrum auctoritates, necnon Eccleſiæ definitiones habentur apud Tournely, Berti, &c.

Perſpicua tandem ratione Catholicum hoc dogma firmatur. Nam propter eaſdem omnino cauſas poterit quis ſecundam, vel tertiam, ac deinceps uxorem accipere, propter quas primam acceperat; nimirum ad liberos procreandos, præſertim ſi ex priore matrimonio nullos habuerit: deinde in remedium incontinentiæ; quæ profecto cauſa plerumque non minus, ac forte etiam magis valet in viduis, adhuc juvenilis ætatis, quam in iis quæ nunquam expertæ fuere conjugium. Non enim de virginibus, ſed de viduis dixit Apoſtolus in 1. ad Tim. 5. v. 14. *Volo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias eſſe*. Pro-

Propoſitio 2. Simultanea uxorum pluralitas adverſatur ſecundariis matrimonii finibus, ejuſdemque primævæ inſtitutioni repugnat, ac demum in Evangelica lege eſt penitus interdicta.

Probatur. Conjuges enim pares ſunt in iis quæ ad torum pertinent conjugalem: atqui natura mulieri non permittit plures viros habere: ergo nec viro plures uxores. Et quamvis non ſit utriuſque par ratio ex parte procreationis prolis; cum poſſit vir plures uxores eodem tempore fœcundare, mulier autem a pluribus viri fœcundari non poſſit, ut ait Auguſtinus in lib. de bono conjugali c. 17. & lib. 3. de doct. Chriſt. c. 12. Stat tamen paritas ex parte juris matrimonialis; quia ſicut uxoris corpus eſt in viri poteſtate, ita corpus viri in poteſtate manet uxoris: proindeque tam uxori quam viro irrogatur injuria, quando alterutrius corpus alii traditur cuicumque.

Præterea, inter matrimonii fines recenſenda procuIdubio eſt intima animorum conjunctio, individuæ vitæ ſocietas, pax domeſtica, cura & inſtitutio filiorum: ab his vero finibus quantum avertat ſimultanea uxorum pluralitas, nemo non videt. Difficile enim eſt, ut omnes uxores ſuas æquali amore vir diligat; id autem non faciendo, zelotypiæ, invidiæ, jurgiorumque fomenta miniſtrat. Lege quæ de Sara & Agar, de Lia & Rachele, eorumque filiis Scriptura commemorat, Gen. cc. 16. & 30. &c. Lege etiam quæ hac de re habet S. Bonaventura in 4. d. 33. a. 1. q. 2. Ipſi denique Ethnici polygamiam ut humanæ ſocietati contrariam condemnarunt; quod oſtendunt Eſtius, Berti, aliique.

Op-

Opponitur inſuper ſimultanea polygamia primæ origini, quam a Deo matrimonium habuit. Narratur enim in Gen. c. 2. unam viro coſtam ablatam fuiſſe, non plures, eandemque converſam in unam feminam, non in plures; rurſumque Scriptura ſubjungit, quod *vir adhærebit uxori ſuæ*, non uxoribus; & *erunt duo in carne una*, non tres vel plures. Hinc paſſim Patres Lamechum tanquam adulterum, ac violatæ matrimonii inſtitutionis reum accuſant, quod duas uxores omnium primus acceperit. Sufficiat nobis audire Hieronymum ita ſcribentem in epiſt. 85. alias 9. ad Salvinam: *Etiam de Paradiſo expulſus Adam, unam habuit uxorem. Primus Lamech maledictus, & ſanguinarius, & de Cain ſtirpe deſcendens, unam coſtam diviſit in duas, & plantarium bigamiæ protinus diluvii pœna ſubvertit.*

Quod poſtremo Evangelica lex inhibeat cum pluribus ſimul uxoribus iniri conjugium, ita breviter perſpicueque monſtratur. Chriſtus Matth. 19. matrimonium ad primæ inſtitutionis perfectionem revocans, inquit: *Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*: ex quibus verbis Innocentius III. cap. *Gaudemus*, tit. de Divortiis, hanc illationem recte deducit: *Si ergo uxore dimiſſa, duci alia de jure non poteſt, fortius & ipſa retenta. Per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque ſexu circa matrimonium reprobandam.*

Item Apoſtolus in 1. ad Cor. 7. & alibi quotieſcumque de matrimonio verba facit, ſemper de uxore loquitur in numero ſingulari, paritatemque quoad conjugale debitum inter virum femi-

feminamque conſtituit: cui quidem paritati ſicut opponitur, unam feminam plures habere viros; ita quoque repugnat, unum virum feminas plures habere, ut ſuperius dictum eſt.

Idem præterea poſtulat ſacramenti ratio, quam oportet exactius ſervari in lege nova, quam veteri; eo quod per Chriſtum acceſſerit ei promiſſio gratiæ, quam antea non habebat. Ratio autem ſacramenti eſt, qua conjunctio unius Chriſti cum una Eccleſia denotatur.

Denique Synodus Tridentina in ſeſſ 24. hunc edidit canonem n. 2. *Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum; anathema ſit.*

Objicies 1. contra 1. propoſ. Veteres, præſertim Græci, ſecundas, ulterioreſque nuptias minime laudarunt, imo eas *incontinentiæ argumentum*, *inquinamenta*, *adulterium*, *fornicationem*, *&c.* appellaſſe patet ex Athenagora in Legatione pro Chriſtianis, ex Clemente Alex. in lib. 3. Stromatum, ex Baſilio in epiſt. ad Amphilochium can. 4. &c.

Deinde, juxta antiquum Eccleſiæ ritum ſecundæ nuptiæ non benedicuntur a Sacerdote; imo & benedici vetantur, Extra, de ſecundis nuptiis cap. *Capellanum*, & cap. *Vir autem*.

Digami inſuper *irregulares* habentur, neque poſſunt ad Sacros Ordines promoveri; ut colligitur ex Apoſtolo in 1. ad Tim. 3. affirmantque Tertullianus lib. 1. ad uxorem c. 7. & Hieronymus in epiſt. 91. ad Ageruchiam, aliique.

Reſp. ad 1. Patres aliquando repetita redarguiſſe conjugia, non quod ea illicita eſſe putaverint; ſed quia frequenter propter nubentium incontinentiam, impotentemque libidinem contra-

trahantur, & monogamia ſit polygamia perfectior. Unde Hieronymus in citata ad Ageruchiam epiſt. ſcribit: *Damnamus ſecunda matrimonia? Minime, ſed prima laudamus. Abjicimus de Eccleſia digamos? Abſit, ſed monogamos ad continentiam provocamus.* Et poſt allata in probationibus verba ſubjungit: *Sed quomodo non damnantur iſtæ nuptiæ, ita nec prædicantur. Solatia miſeriæ ſunt, non laudes continentiæ.* Similia habet etiam Auguſtinus in lib. de bono viduitatis c. 12.

Ad 2. Solemnis illa benedictio cum ſit inſtar conſecrationis, ſemel in primis nuptiis impertita nequaquam amittitur, uti declarat Urbanus III. in laudato cap. *Vir autem*. Qua in re notamus eandem benedictionem potiſſimum reſpicere feminam per matrimonium fæcundandam; *Et ideo*, inquit S. Bonaventura in 4. d. 42. a. 3. q. 2. *cum mulier eſt virgo, quamvis vir ſit bigamus, nuptiæ benedicuntur.*

Ad 3. Digami *irregulares* ſunt propter ſacramenti defectum, ut inquit Innocentius III. cap. *Debitum*, de Bigamis: non quod ſecundæ nuptiæ non ſint Sacramentum, aut bigamus adhærendo uxori ſuæ non ſignificet Chriſti cum Eccleſia unionem; ſed quia hanc ſecundæ nuptiæ non æque repræſentant ut primæ; *quoniam bigamus non eſt unus unius*, ut ait idem Summus Pontifex. Vide S. Bonaventuram in laudato a. qq. 1. 2. & 3.

Objicies 2. contra 2. propoſ. Polygamia non repugnat primario fini matrimonii, qui eſt procreatio liberorum, ſed potius eum adjuvat, pleniuſque conſequitur. Secundarios vero fines, qui ſunt ſocialis cohabitatio, regimenque do-

me-

meſticum, concupiſcentiæ remedium, & Chriſti cum Eccleſia conjunctionis ſacramentum, licet non ita plene ac perfecte aſſequatur ut monogamia; non tamen iis repugnare videtur, neque eoſdem excludere. Priores enim fines in polygamia obtineri poſſe demonſtrant exempla Patriarcharum aliorumque Juſtorum in Judaico populo, qui ſocietatem & concordiam aluerunt inter uxores, & conjugale eis debitum reddiderunt. Quod autem ſpectat ad ſacramentum, dicit Auguſtinus in lib. de bono conjug. c. 18. *plures uxores antiquorum pàtrum ſignificaſſe futuras noſtràs ex omnibus gentibus* (particulares) *Eccleſias uni viro ſubditas Chriſto*. Quæ plures Eccleſiæ cum unam Eccleſiam Catholicam conſtituant, videtur adhuc eandem ſacramenti rationem in matrimoniis aliis & in polygamia ſervari. Polygàmia itaque quamvis poſtponenda ſit monogamiæ, non tamen ex ſeſe videtur illicita, neque ullatenus naturæ legi contraria.

Reſp. ſatis ex dictis conſtare, quod polygamia legi naturæ repugnet. Etſi enim primarium finem non impediat, ſed magis promovere videatur, impedit tamen ſecundarios fines; idque per ſe efficit, licet interdum per accidens impedimenta illa minui, vel etiam tolli poſſint per conjugum probitatem; quod tamen perraro contigiſſe certiſſimum eſt. Denique matrimonium ex Dei inſtitutione ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, non cum Eccleſiis; quæ quidem ſignificatio cum in polygamia non reperiatur, ſaltem ex ea ratione conſequitur divinæ inſtitutioni eandem opponi. Iterum legenda monemus quæ hac de

re egregie ſcribit Seraph. Doctor loco inter probationes laudato.

Objicies 3. Antiqui Patres dum plures duxerunt uxores, immunes a culpa fuerunt; ut docent Tertullianus de exhortat. caſtitatis c. 5. Chryſoſtomus hom. 56. in Geneſim, Ambroſius lib. 1. de Abraham c. 4. Auguſtinus pluribus in locis, ac præſertim in lib. 16. de C. D. c. 25. & lib. 22. contra Fauſtum cc. 30. & 47. &c. Atqui dici non poteſt id eos Deo diſpenſante feciſſe, cum nequeat ille in ullo legis naturæ præcepto diſpenſare, uti a nobis ſupra in lib. 15. c. 6. late probatum eſt. Polygami ergo fuerunt, quia plures ſimul uxores accipere, neque primario, neque ſecundariis matrimonii finibus adverſatur.

Reſp. ex dictis a nobis in citato libro, Deum diſpenſaſſe cum Patribus, ut plures uxores acciperent, improprio tamen diſpenſationis modo, ut ibidem oſtendimus. Quod vero rationabilis ea diſpenſatio tunc fuerit, ex Seraph. Doctore probatur, qui in 4. d. 33. a. 1. q. 3. ſcribit, interveniſſe ea in re *congruitatem*, *neceſſitatem*, *utilitatem*, & *honeſtatem*; idque ita demonſtrat: „ Primum quidem congruum fuit „ illud tempus diſpenſationi, quoniam tempus „ fuit figuræ; & quoniam Chriſtus generare „ debebat liberos, & filios per Baptiſmum, & „ in Eccleſia Catholica, & in hæreticis diverticulis: ideo in figura debuit præcedere matrimonium, ſive generatio ex libera, & ex „ ancilla. Et rurſus, quoniam inter illos qui „ ab hæreticis baptizantur, quidam hæreſim „ ſequuntur, quidam ad Eccleſiam revertuntur; ideo utriuſque figura præceſſit: primi

„ in

„ in Iſmaele, de quo dictum eſt Gen. 21. *Eji-*
„ *ce ancillam, & filium ejus*. Secundi in an-
„ cillis Jacob Gen. 35. quarum filii ſunt inter
„ liberos computati. Hoc habetur ab Auguſti-
„ no in lib. de Baptiſmo. Fuit ergo tempo-
„ ris congruitas.

„ Fuit etiam neceſſitas, quia pauci erant
„ Deum colentes; & ut cultus divinus non
„ periret, neceſſe fuit, ut filios multiplicarent,
„ & contigit, quod uxores ſteriles haberent; ideo
„ neceſſitatem habuerunt tunc plures habere.

„ Fuit etiam utilitas, quia filii erudiebantur
„ a parentibus, & mores patrum ſervabant: &
„ ideo quanto plures, tanto cultus Dei erat
„ celebrior, & ideo erat tunc utile multos
„ procreare.

„ Fuit etiam honeſtas, quia non affectu li-
„ bidinoſo, ſed caſto, non affectu adulteri, ſed
„ mariti etiam concubinas cognoſcebant. In
„ cujus rei teſtimonium de Abraham dicitur,
„ quod non ipſe accepit ancillam, ſed uxori
„ obedivit, & ei in ea debitum reddidit, &
„ affectu viri cognovit: & ideo dicitur Gen.
„ 16. quod Sara dedit Agar in uxorem Abra-
„ ham; non quia fuerit uxor, quia poſtmodum
„ fuit ejecta; ſed ut ſignificetur, quod eo af-
„ fectu eam cognovit, quo & uxorem. Unde
„ Auguſtinus 16. de C. D. c. 25. vocat ipſum
„ *virum feminis viriliter utentem, uxore tempe-*
„ *ranter, ancilla obtemperanter, nulla intem-*
„ *peranter*.

His autem poſitis S. Bonaventura concludit,
„ quod hæc diſpenſatio non ſe extendit ad tem-
„ pus naturæ inſtitutæ, nec gratiæ: quia in
„ natura inſtituta non erat tempus figuræ, nec

„ neceſſitas ſterilitatis. Similiter in tempore „ gratiæ ceſſaverunt figuræ, & omnes vocan- „ tur ad Chriſti culturam, & multiplicatum „ eſt genus humanum valde. Ratione utilitatis „ non ſe extendit ante tempus Abrahæ: quia „ ante non multiplicabantur ad cultum Dei, „ ſed ad malum, quia imitatores erant pater- „ norum ſcelerum, & ideo deleti ſunt cum „ terra. Ratione vero honeſtatis ad illos ſolos „ ſe extendit, qui uxoribus, & concubinis tem- „ peranter, & ad cultum Dei multiplicandum „ ſciebant, & volebant uti, aliter eis diſpen- „ ſatio non valebat. Iſta autem diſpenſatio fa- „ cta eſt divina inſpiratione in Patriarchis, & „ rege David, quoniam utriſque de ſemine fa- „ cta eſt repromiſſio: & quia iſti erant capi- „ ta, & imitandi erant tanquam ſancti, & in- „ tellexerunt recte diſpenſationem hanc ad omnes „ extendi, qui erant imitatores eorum in ca- „ ſtitate; mos fuit ex hoc introductus durans „ uſque ad Chriſti adventum.

Dictis præterea obſtare videntur exempla Imperatorum Chriſtianorum Valentiniani, Conſtantii, & Lotharii, qui duas ſimul habuerunt uxores. Cap. itidem, *Quod propoſuiſti*, XXXII. q. 7. a Gregorio II. permittitur cuidam, ut propter diuturnam prioris uxoris ægritudinem cum alia contrahat.

Verum quod de Valentiniano a quibuſdam aſſeritur, a Cl. viris Baronio, Valeſio, aliiſque fabuloſum eſſe monſtratur: deinde quod ille geſſiſſe dicitur, Chriſtianorum nemo probavit, Conſtantius vero Arianus fuit: Lotharius cum pellice a Nicolao I. communione privatus, cap. *An non*, XXXIV. q. 3. Tandem ægritudo, de

de qua in cap. *Quod propoſuiſti*, erat impedimentum dirimens *impotentiæ*; ac præterea Gregorii reſcriptum a compluribus dubium, ac ſuppoſititium æſtimatur.

Poſtremo notamus, polygamiam virilem, ideſt, matrimonium plurium virorum cum una uxore, inauditum turpiſſimumque ſcelus eſſe, jurique naturæ omnino contrarium, ac primario matrimonii fini repugnans. Unde laudato ſuperius loco ſcribit S. Bonaventura, *quod ſi una eſſet plurium, nulla eſſet utilitas; quia unus poteſt fœcundare plures, ſed non una a pluribus. Eſſet etiam damnum, quia defectus tranquillitatis: non enim poteſt cum pace unus duobus dominis ſervire, ſicut unus dominus duobus ſervis imperare; & vir caput eſt, & dominatur mulieri. Deeſſet etiam bonum ſacramenti, quia una anima non duobus viris, ſed Chriſtus multis copulatur animabus. Et amplius eſſet incertitudo prolis, & confuſio hæreditatis.* Vide etiam S. Auguſtinum in lib. de bono conjugali c. 17.

CAPUT VI.

De indiſſolubili Matrimonii nexu, ejuſque firmitate.

Communis inter Theologos eſt diſtinctio Matrimonii in legitimum, ratum, & conſummatum. Primum eſt quod juxta præſcriptas leges contrahitur a perſonis nullo im-

pedimento ligatis. Hujuſmodi matrimonium *verum* quoque dicitur, & inter infideles etiam invenitur. Ratum vero vocatur, quod ineunt Chriſtiani, quodque ex Baptiſmo majorem firmitatem aſſequitur, quæ in infidelium matrimonio non habetur. Conſummatum denique dicitur, quod ipſo uſu, ſive carnali conjunctione perfectum eſt. His ergo præmiſſis ſit

Propoſitio 1. Conſummatum Chriſtianorum matrimonium neque per ſubſequens adulterium diſſolvi poteſt. Eſt contra Lutherum, Calvinum, alioſque Novatores, & Græcos.

Probatur Catholica veritas ex Chriſti verbis Marci 10. v. 11. & 12. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam: & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur*. Ait quoque ille Lucæ 16. v. 18. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur*. Quæ teſtimonia Auguſtinus expendens in lib. 1. de adulterinis conjugiis c. 9. ſcribit: *Qui ergo nos ſumus, ut dicamus: Eſt qui mœchatur, uxore ſua dimiſſa alteram ducens, & eſt qui hoc faciens non mœchatur; cum Evangelium dicat, omnem mœchari, qui hoc facit? Proinde ſi quicumque hoc fecerit; ideſt, omnis qui hoc fecerit, ut uxore ſua dimiſſa, alteram ducat mœchatur; ſine dubitatione ibi ſunt ambo, & qui præter cauſam fornicationis, & qui propter cauſam fornicationis dimittit uxorem. Hoc eſt enim*, Quicumque dimiſerit, *hoc eſt*, Omnis qui dimittit.

Scribit item Apoſtolus in 1. ad Cor. c. 7. v. 10. & 11. *Iis autem, qui matrimonio juncti*

ſunt,

ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere; quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Ubi ſane loquitur Paulus de muliere quæ ob fornicationem viri diſcedit; alioquin enim ipſi diſcedere non permittitur, ſed conjugii onera patienter ferre tenetur. Unde Auguſtinus in lib. 1. de adulter. conjugiis c. 7. inquit: *Porro beatus Apoſtolus, imo per Apoſtolum Dominus, quia mulierem non permittit a viro non fornicante diſcedere, reſtat, ut eam probibeat, ſi diſceſſerit, nubere, quam permittit a fornicante diſcedere. De qua enim dicitur, ſi a viro diſceſſerit, non nubat, ea conditione diſcedere permittitur, ut non nubat.*

In eodem præterea cap. v. 39. ſubjungitur: *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit. Quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat.* Legitur etiam ad Rom. 7. v. 2. *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Ergo ex Apoſtolo ſola mors viri vinculum conjugale diſſolvit. *Hæc verba Apoſtoli*, inquit Auguſtinus lib. 2. de adult. conjug. c. 4. *toties repetita, toties inculcata vera ſunt, viva ſunt, ſana ſunt, plana ſunt. Nullius viri poſterioris mulier uxor eſſe incipit, niſi prioris eſſe deſierit: eſſe autem deſinet uxor prioris, ſi moriatur vir ejus, non ſi fornicetur. Licite itaque dimittitur conjux ob cauſam fornicationis, ſed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui di-*

dimiſſam duxerit, etiam ob cauſam fornicationis.

Auguſtino conſentiunt Patres alii. Ita Juſtinus in Apologia 2. pro Chriſtianis, inter Chriſti dogmata iſtud quoque recenſet, *Si quis repudiatam a viro altero duxerit, adulterium committit.* Ubi nullam S. Martyr cauſam excipit, ne alterius quidem conjugis adulterium. Baſilius in lib. de Virginitate circa medium ait: *Non audis, quod etiam qui dimiſſam ducit, mæchatur? Etſi enim pro culpa dimiſſa eſt, attamen vivit vir ipſius:* hoc eſt, eo vivente dimitti ita non poteſt, ut alteri nubat. Hieronymus in epiſt. ad Amandum ſcribit: *Quamdiu vivit vir, licet adulter ſit, licet ſodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc ſcelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet.* Ne tandem brevitatis terminos prætergredi videamur, alia plura Patrum teſtimonia legi poterunt apud Tournely, Gotti, Berti, &c.

Sanctorum quoque Conciliorum auctoritate confirmatur aſſertio; ac præſertim Decreto a Florentinis Patribus edito pro Inſtruct. Armenorum, ubi legitur: *Quamvis autem ex cauſa fornicationis liceat tori ſeparationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum ſit.* Tridentina denique Synodus ſeſſ. 24. can.5. contra Novatores ita decrevit: *Si quis dixerit, propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam a conjuge, diſſolvi poſſe matrimonii vinculum; anathema ſit.* Et can. 7. *Si quis dixerit Eccleſiam errare, cum docuit, & docet juxta Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum ma-*

matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum qui dimiſſa adultera aliam duxerit, & eam quæ dimiſſo adultero alii nupſerit; anathema ſit.

Propoſitio 2. Matrimonium ratum, & non conſummatum, religioſa profeſſione diſſolvitur.

Ita namque Tridentina Synodus definivit contra Lutheranos, & Calviniſtas, ſeſſ. 24. can. 6. inquiens: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non conſummatum per ſolemnem religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi; anathema ſit.* Statutum id quoque jam fuerat ab Alexandro III. cap. *Verum*, *de converſione conjugatorum*, ubi legitur: *Poſt conſenſum illum legitimum de præſenti datum, licitum eſt alteri, altero etiam repugnante, monaſterium eligere, ſicut quidam Sancti de nuptiis vocati fuerunt; dummodo inter eos carnalis commixtio non intervenerit. Et alteri remanenti, ſi commonitus ſervare noluerit continentiam, licitum eſſe videtur, ut ad ſecunda vota tranſire poſſit. Quia cum non fuiſſent una caro effecti, poteſt unus ad Dominum tranſire, & alter in ſæculo remanere.* Similia habentur cap. *Ex publico*, & cap. *Ex parte tua*, eodem titulo, necnon cap. *Commiſſum*, tit. de ſponſalibus, ac denique cap. *Fraternitatis tuæ*, tit. de frigidis. Eſtque notandum Romanos Pontifices hæc decreta ferentes teſtari ſe Anteceſſorum ſuorum veſtigia ſequi, ut inferre inde poſſimus hanc doctrinam ex Apoſtolica traditione deſcendere. Lege Gotti, & Tournely.

Sanctorum vero exempla, quæ huc faciunt, ſunt

ſunt 1. illud Theclæ, quam Paulus a nuptiis ante matrimonii conſummationem revocavit, teſtibus Epiphanio hær. 78. & Ambroſio lib. 2. de Virgin. c. 3. Narrat inſuper Auguſtinus in lib. 8. Confeſſ. c. 6. duos milites, lecta Antonii vita, ad Monaſterium convolaſſe, relictis ſponſis, quæ item virginitatem ſuam Deo dicarunt. Refert poſtremo Gregorius M. in lib. 3. dialog. c. 14. Gregoriam virginem, *conſtitutis jam nuptiis, in Eccleſiam fugiſſe, ut ſanctimonialis vitæ converſationem quæreret, ac meruiſſe ſponſum habere in Cœlo, quia ſponſum fugit in terra*. Reliqua leges apud Eſtium, Tournely &c.

Congrua demum hujus rei ratio a S. Bonaventura profertur in 4. d. 27. a. 3. q. 2. ubi ait: „ Inſolubilitas conſequitur matrimonium non „ tantum conſummatum, ſed etiam ratum: & „ propter hoc etiam ratum quandam inſolubi- „ litatem, licet minorem, quam matrimonium „ conſummatum, habet: habet tamen ſibi com- „ petentem, ſicut & illud. Sicut enim vinculum „ matrimonii conſummati eſt inſolubile viven- „ tibus extremis vita corporali, nec ſolvitur, „ niſi morte corporali: ſic nec matrimonium, „ in quo eſt conjunctio mentium, & animo- „ rum poteſt ſolvi, niſi homo moriatur ſpiri- „ tualiter huic mundo, ſive operi carnis: & „ hoc fit intrando Religionem, & emittendo „ votum caſtitatis ſolemne. Extunc enim ſol- „ vitur tale matrimonium, ex quo ſpirituali- „ ter moritur: & hoc probatur per illam de- „ cretalem Innocentii III. de converſ. conjug. „ *Ex parte tua*. Concedendum eſt igitur ma- „ trimonium illud eſſe inſolubile ſuo modo, „ cum ſit Sacramentum; nec ſeparatur ab ho-

„ mi-

„ mine, ſed a Deo, cui ſolemne votum con-
„ tinentiæ promittitur. " Similia leges apud S. Thomam in ſuppl. q. 61. a. 2.

Objicies 1. contra 1. propoſ. Matthæi c. 19. v. 9. ait Chriſtus: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*. Ergo ab oppoſito ſequitur non mœchari eum, qui fornicariam dimittit uxorem, & aliam ducit.

Reſp. cum S. Thoma in ſuppl. q. 62. a. 5. & cum S. Bonaventura in 4. d. 35. a. 1. q. 4. illam Domini exceptionem, *niſi ob fornicationem*, non referri ad utrumque actum, ſcilicet ad dimittendum, & ad ducendum uxorem aliam; ſed referri ſolummodo ad dimiſſionem uxoris adulteræ; ita ut iſte ſit ſenſus: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam* (quod non licet, *niſi ob fornicationem*), *& aliam duxerit, mœchatur*. Simile eſt, ſi dixeris: *Quicumque mulierem cognoverit, niſi in conjugio, & libidini ſuæ obſecutus fuerit, peccat*. Atque ita Chriſti verba apud Matthæum intelligenda eſſe colligitur ex Marci & Lucæ textibus quos ſupra cum Auguſtini expoſitione retulimus.

Reponi præterea poteſt illud, *mœchatur*, referendum eſſe diviſim ad utramque ſententiæ partem, quam eo in verſu Chriſtus expreſſit, hoc modo: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, mœchatur; & qui aliam duxerit, mœchatur*. Ut notetur eum bis mœchari, qui uxorem ducit priore dimiſſa extra caſum fornicationis; ſemel quidem adulterio uxoris, cui cauſam dedit per dimiſſionem injuſtam; & iterum adulterio proprio, dum illa vivente aliam ducit. Et hic ſane ſenſus cum ſimili ſententia Do-

Domini congruit apud eundem Evangeliſtam c. 5. v. 32. *Omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat*. Quo in loco perſpicuum eſt exceptionem tantum pertinere ad dimiſſionem quam Dominus docet illicitam eſſe excepta cauſa fornicationis, quia per hoc vir mœchari facit uxorem.

Objicies 2. plurium Veterum auctoritatem, qua permoti Cajetanus, Catharinus, Launojus, aliique in oppoſitam abiere ſententiam. Tertullianus in lib. 4. contra Marcionem c. 34. ſcribit, quod Deus virum a muliere non disjungat, niſi *ex cauſa adulterii*. Origenes tomo 14. in Matth. n. 23. ait, non omnino ſine cauſa quoſdam, qui Eccleſiis præerant, permiſiſſe nonnullis mulieribus, ut alteri nuberent, *viro priori vivente*. Epiphanius hær. 39. vel 59. n. 4. aſſerit ſecundas licere nuptias *occaſione aliqua ſtupri, adulteriique, aut alterius flagitii*. Ambroſius denique in Comment. ſuper c. 7. epiſt. 1. ad Cor. affirmat, diſparem eſſe viri mulieriſque conditionem; nam poteſt vir, dimiſſa uxore adultera, aliam ducere; id vero mulieri non licet: quod quidem diſcrimen conſuetudine introductum fuiſſe teſtatur etiam Baſilius M. in epiſt. ad Amphilochium can. 9. Alii denique Patres idem ſenſiſſe videntur.

Reſp. citato in loco Tertullianum aſſerere dimittendam quidem eſſe uxorem adulteram, ea tamen conditione, *ut alia non ducatur*. Loquitur enim non de disjunctione quoad vinculum, ſed tantum quoad cohabitationem, & torum; uti contextum legenti patebit.

Origenes id factum contra Scripturarum auctoritatem

ctoritatem expreſſe ſignificat, inquiens: *Scio quoſdam, qui præſunt Eccleſiis, extra Scripturam permiſiſſe aliquas nubere, priori viro vivente. Et contra Scripturam, quidem fecerunt, dicentem, Mulier ligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Excuſat autem eos qui ita nubere permiſerunt, quod minus malum permiſerint, ut majora mala vitarent.

Epiphanius loqui videtur de nuptiis poſt mortem conjugis contrahendis; ait enim: *Sed cui mortua una non ſufficit, cum occaſione aliqua ſtupri adulteriique, aut alterius flagitii cum ea divortium fecerit; is ſi alteram uxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupſerit, ſacrarum literarum auctoritas ab omni culpa illos abſolvit, &c.* Subditque: *Non ita tamen duas ut altera ſuperſtite uxores ſimul babeat, &c.* Quidam præterea depravatum hunc Epiphanii locum exiſtimant; præſertim quod vero non ſit ſimile, Epiphanium aſſerere voluiſſe, *cujuslibet flagitii cauſa*, novum iniri poſſe conjugium.

Citata in Paulinas Epiſtolas Commentaria falſo adſcribuntur Ambroſio, ſed fœtus ſunt Hilarii Romani Diaconi Luciferianæ factionis, quem in ſuo Dialogo notavit Hieronymus.

Baſilius denique in laudata epiſtola reſpexiſſe videtur ad conſuetudinem quæ ex humanis quibuſdam legibus ad nationes aliquas dimanavit. Ait enim: *Æque viris ac mulieribus convenit ſecundum ſententiæ conſecutionem, quod a Domino pronunciatum eſt, non licere a matrimonio diſcedere, niſi ob fornicationem. Conſuetudo autem non ita ſe babet, &c.* De ejuſmodi civilibus legibus, quæ Evangelicæ legi repugnant, conqueruntur etiam Chryſoſtomus hom. 19. in 1.

ad

ad Cor. Ambroſius lib. 8. in c. 16. Lucæ, Hieronymus epiſt. 84. ad Oceanum, & Auguſtinus ſerm. 392. n. 2. Ex quibus apparet a veritate longius aberraſſe Launojum, alioſque adverſæ ſententiæ defenſores.

Notandum hic inſuper eſt, implicatam olim viſam fuiſſe hanc quæſtionem, & ita obſcuram, ut aliqui *venialiter* fallerentur; uti ſcribit Auguſtinus in. lib. de fide & operibus c. 19. Nonnulli inſuper ex iis quæ refert Card. Pallavicinus in lib. 22. Tridentinæ Hiſtoriæ cap. 4. colligunt, citato canone 7. ſeſſ. 24. anathemate non percelli Græcos contrariam obſervantes praxim, & contendentes matrimonium diſſolvi etiam quoad vinculum, adveniente adulterii caſu; ſed Lutheranos, & Calviniſtas, qui cenſuram inurere doctrinæ Eccleſiæ auſi fuere, eam erroneam eſſe dicentes. Unde Patres Tridentini non ajunt: *Si quis dixerit, propter adulterium alterius conjugum, &c. anathema ſit*: ſed, *Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cum docuit, & docet, &c.* Verum quidquid hac de re ſentias, negandum non eſt, Tridentinis Patribus perſuaſum fuiſſe, quod Evangelica & Apoſtolica doctrina ſit, conſummati matrimonii vinculum propter adulterium non poſſe diſſolvi: ac concedendum eſt pariter, eoſdem Patres judicaſſe Eccleſiam olim ac Concilii etiam tempore docuiſſe, proindeque docturam eſſe deinceps, matrimonium conſummatum propter adulterium diſſolvi non poſſe.

Objicies 3. contra 2. propoſ. Conjunctio Chriſti cum Eccleſia per charitatem quæ in matrimonio rato ſignificatur non minus eſt inſolubilis, quam conjunctio per naturam, quæ deſigna-

gnatur in matrimonio conſummato: utrumque igitur matrimonium diſſolvi nullatenus poteſt.

Deinde, per contractum matrimonii etiam ante conſummationem, uterque conjux alteri dat ſui corporis poteſtatem: ergo eam dum vivit nequit ullo caſu alteri viventi auferre, præſertim ſi ille reſtiterit; ſic enim manifeſtam ei injuriam facere videretur.

Denique, ſi per Religionis ingreſſum ſolveretur matrimonium ratum, ſolvi ſimiliter poſſet per ſuſceptionem ſacrorum Ordinum, ac præcipue Ordinis Epiſcopalis; cum ſolemne continentiæ votum ſacris etiam Ordinibus ſit annexum, & ſtatus Epiſcopalis ſit religioso ſtatu perfectior. At hoc modo non ſolvitur; uti decrevit Joannes XXII. in Extravagante quæ incipit, *Antiquæ*.

Reſp. ad 1. Matrimonium, præciſe loquendo, non habere firmitatem ab illa ſpeculativa ſignificatione, ſed tum a natura ſua, & inſtitutione divina, tum a ſignificatione practica, quæ ſola eſſentialiter competit Sacramentis. Et matrimonio quidem ex ſeſe competit inſolubilitas, etiam antequam conſummetur, ita ut per intrinſecam cauſam dirimi nequeat; abſque tamen præjudicio divinæ voluntatis, quæ in gratiam religioſæ profeſſionis ex ſpeciali privilegio illud diſſolvi permiſit. Neque demum oportet, ut ſignum ſemper exacte rei ſignificatæ reſpondeat: cumque matrimonium conſummatum utramque ſignificet conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, ratum vero non item; nil mirum, ſi illud iſto ſit firmius.

Ad 2. dicimus cum S. Bonaventura in laudato loco, *quod poteſtas corporis non ſimpliciter trans-*

transfertur in matrimonio rato, ſed ſub conditione, utriuſque ſcilicet ſtatu & vita manente. Unde dico, quod ſi uxor peteret ſibi ſtatim debitum, non teneretur reddere, nec Eccleſia cogeret, quod ſtatim redderet: ſed ſaltem dat inducias uſque ad duos menſes, ultra quod tempus tenetur aut mulieri debitum reddere, aut ad vitam aliam ſe transferre: tunc ergo eſt vinculum ſolutum, cum homo ad vitam aliam eſt ingreſſibiliter translatus; & ideo dicitur mortuus. Eadem habet S. Thomas loco ſupra citato.

Ad 3. Mors civilis nequaquam incurritur per ſacrum Ordinem, ne per Epiſcopalem quidem, etiamſi major ſit in Epiſcopali ſtatu perfectio. Itaque ſicut profeſſioni monaſticæ per ſe & ex natura rei repugnat proprietas, ita & conjugium. Ordini autem ſacro cuicumque ſimpliciter non repugnat proprietas; repugnat vero conjugium non per ſe, ſed ex Eccleſiaſtica ſanctione. Denique diſcriminis hujuſce ratio ex ſola Chriſti voluntate repetitur.

Hic item advertimus, quod dum Theologi de matrimonii inſolubilitate pertractant, duo quærunt; primum nempe, num apud Judæos per repudi libellum prioris conjugii vinculum ſolveretur: alterum, an etiam apud infideles conjugale vinculum ſuam habeat firmitatem?

Quod ad 1. attinet, non una eſt Theologorum opinio; communius tamen Theologi cum S. Bonaventura in 4. d. 33. a. 3. qq. 1. 2. & 3. contendunt, per libellum repudii vinculum prioris conjugii non fuiſſe ſolutum, neque licuiſſe Judæis uxorem repudiare, permiſſum tamen id fuiſſe ut impune fieret, majoris mali vitandi cauſa. Ut enim inquit Hieronymus in

c. 19.

c. 19. Matthæi, ubi de libello repudii agitur, *Moyſes cum videret propter deſiderium ſecundarum conjugum, quæ vel ditiores, vel juniores, vel pulchriores eſſent, primas uxores interfici, aut malam vitam ducere; maluit indulgere diſcordiam, quam odia & homicidia perſeverare.*

Et re quidem vera iſthæc opinio videtur conformior Chriſti verbis in citato cap. Matth. 19. ubi Phariſæis interrogantibus, *Si liceret homini dimittere uxorem ſuam quacumque ex cauſa?* non licere reſpondet, eo quod obſtet inſtitutio matrimonii; ipſis autem replicantibus, *Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* ait, *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras.* Ubi profecto Chriſtus oſtendit, id eis fuiſſe permiſſum, ideſt abſque inflictione pœnæ toleratum, tanquam minus malum ad vitandum majus, ne ſcilicet uxores, quas exoſas haberent, occiderent.

Neque oppoſitum probat, quod dixerint Phariſæi, *Moyſes mandavit*. Illi enim corrupta intelligentia meram permiſſionem pro mandato ſumpſerunt; proindeque redarguit eos Chriſtus, inquiens, *Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit*. Addimus inſuper, quod hac in re aliquid Judæis permiſſum erat, aliud vero præceptum. Permiſſum erat dimittere uxores; præceptum vero, ut quando dimittere vellent, repudii libellum ſcriberent, ſcriptumque traderent uxoribus, quas dimittebant. Unde S. Auguſtinus in lib. 1. de ſerm. Dom. in monte c. 14. ſcribit: *Non enim, qui præcipit dari libellum repudii, hoc præcipit, ut uxor dimittatur; ſed qui dimiſerit, inquit, det illi libellum repudii, ut iracundiam temerariam projicientis u-*

xorem libelli cogitatio temperaret.

Huc accedit, quod nulla afferri cauſa poteſt, ob quam Deus adverſus matrimonii inſtitutionem legemque naturæ repudium cohoneſtaret, licitumque eſſe ſtatueret. Nam ſobolis propagationi ſatis conſultum fuit permiſſa polygamia; duritia autem Judaica Deum ad approbandum malum movere non poterat. Lege Eſtium, Gotti, Berti, &c.

Hæc cum ita ſe habeant, inferendum eſt, virum inter & repudiatam non potuiſſe diſſolvi vinculum conjugale, quod ex ſua natura, Deique inſtitutione inſolubile eſt; ideoque tam viro quam mulieri, poſt repudium ac per repudium non plus poteſtatis & juris ad capeſſendas alias nuptias acceſſiſſe, quam habebant ante repudium. Manifeſtum eſt autem non potuiſſe mulierem ante repudium alii viro nubere; ergo neque poſt repudium potuit.

At licet viro uxorem dimittenti nullum per repudium jus ad aliam ducendam accederet, cum primum matrimonii vinculum minime ſolveretur; non tamen privabatur ille jure, quod ex generali Dei diſpenſatione ſuper polygamia ſibi ante repudium competebat: inquit Eſtius in 4. d.33. §. 12. Quare ſicuti poterat priori uxore retenta aliam ſuperducere, ita etiam priori repudiata aliam ducere potuiſſe idem Auctor arbitratur. Lege tamen quæ priori in cap. ad 3. argumentum cum S. Bonaventura notavimus.

Circa vero matrimonium infidelium adnotamus, quod quamdiu neuter conjugum ad fidem convertitur, illud diſſolvi non poteſt, ſive conſummatum ſit, ſive non; & hoc ex ipſa matrimonii natura deſcendit. Neque diſſolvitur, ſi uterque conjux convertatur ad fidem; ut enim

le-

legitur in cap. *Gaudemus*, *per Baptiſmum non ſolvuntur conjugia, ſed crimina dimittuntur.*

Quod ſi alter conjux ad fidem veniat, alter autem in infidelitate remaneat; dicimus cum S. Bonaventura in 4. d. 39. a. 2. q. 1. *quod loquendo de ſolutione quantum ad cohabitationem, & mutuam ſervitutem, hoc eſt in poteſtate fidelis; ſed loquendo de ſolutione quantum ad ruptionem vinculi, diſtinguendum eſt; quoniam infidelis, aut vult cohabitare, aut non. Si vult cohabitare, aut cum blaſphemia nominis Chriſti, aut ſine. Si ſine, aut ut pertrahat ad infidelitatem, aut non. Si vult cohabitare ſine blaſphemia nominis Chriſti, & ita quod non pertrahat ad peccatum, non ſolvitur matrimonium; quia nec injuriatur, nec facit contumeliam Deo, nec matrimonio, nec marito. Si autem diſcedit, vel non vult cohabitare ſine contumelia Creatoris, vel ſine impulſione ad infidelitatem, in his tribus caſibus poteſt a fideli dimitti, & per contumeliam factam matrimonio, & Creatori, vinculum poteſt infrangi, & poteſt cum alia contrahere.* At de hoc plura videbis apud eundem Seraph. Doctorem in citato articulo, & apud veteres recentioreſque Theologos.

Supereſt hic poſtremo, ut breviter de divortio differamus. Divortium eſt unius conjugis ab alio quoad torum, ſeu cohabitationem divulſio, conjugali fœdere permanente. Illud vero inter conjuges fideles licite ob legitimas cauſas fieri poſſe decrevit Synodus Tridentina in ſeſſ. 24. can. 8.

Primam divortii cauſam eſſe fornicationem eruitur ex Chriſti verbis, Matth. 5. v. 32. *Omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta forni-*

cationis cauſa, facit eam mœchari. Cum enim ex ſuperius dictis dimiſſio iſthæc non ſit quoad vinculum, erit ſolummodo quoad torum. Idem quoque colligitur ex ſupra citatis textibus Matth. 19. & 1. Cor. 7. v. 11.

Ex Angelico autem Doctore in ſuppl. q. 62. a. 1. ſeptem excipiuntur caſus, in quibus viro non licet fornicantem uxorem dimittere. *Primus est, ſi ipſe vir ſimiliter fornicatus fuerit. Secundus, ſi ipſe uxorem proſtituerit. Tertius, ſi uxor virum ſuum probabiliter mortuum credens, propter longam ejus abſentiam, alteri nupſerit. Quartus, ſi latenter cognita eſt ab aliquo ſub ſpecie viri lectum ſubintrante. Quintus, ſi fuerit vi oppreſſa. Sextus, ſi reconciliaverit eam ſibi poſt adulterium perpetratum, carnaliter eam cognoſcens. Septimus, ſi matrimonio in utriuſque infidelitate contracto vir dederit uxori libellum repudii, & uxor alteri nupſerit: tunc enim ſi uterque convertatur, tenetur eam vir recipere.* Eadem leguntur etiam apud S. Bonaventuram in 4. d. 35. dub. 1. & a. 1. q. 1.

Quod ſi quæſieris, num vir fornicariam uxorem ex præcepto dimittere teneatur; Reponemus cum Seraph. Doctore ibidem q. 2. *quod fornicans conjux, aut fornicatur in occulto, aut in manifeſto. Si in occulto, ſic non poteſt dimittere eam, quia non poteſt probare, & non eſt noſtrum de occultis judicare. Si in manifeſto; aut perſeverat in malitia, aut convertitur ad pœnitentiam. Si perſeverat in malitia, ſic quia ſcandalizat, & quia vir tenetur uxorem corrigere juxta mandatum Evangelicum, tenetur eam dimittere. Si autem pœnitet, & ſe corrigit, non tenetur.*

At rurſum quæres: Poteſtne vir propria auctoritate

ctoritate ſeſe ab uxore fornicante ſeparare?

Reſpondemus cum S. Bonaventura in ejuſdem diſtinctionis & articuli q. 3. *quod contingit uxorem dimitti a viro dupliciter. Vel quantum ad torum, ut non commiſceantur carnaliter; vel quantum ad totum, & mutuam cohabitationem. Si primo modo, ſic dico, quod vir comperto & cognito certitudinaliter, quod uxor fornicetur, vel e converſo, poteſt debitum denegare, nec ad hoc tenetur, niſi per cenſuram Eccleſiaſticam compellatur; & tunc ſi compulſus id bitum reddidit, nullum ei præjudicium generatur. Ratio hujus eſt, quia tenetur, & debet corrigere ſuum comparem, vel conjugem in occulto. Si autem loquamur de ſeparatione ſecundo modo, ſic dicitur divortium: & hoc quia eſt in manifeſto, non debet fieri in occulto, ſed in facie Eccleſiæ: & quia matrimonium eſt magnum Sacramentum, non ſub quocunque judice, ſed coram Epiſcopo; & hoc eſt quod dicitur* 33. *q.* 2. *cap.* Sæculares, &c.

Notandum præterea eſt, par eſſe jus viri, & uxoris relate ad divortii facultatem; nam ſicuti viro innocenti licet adulteram dimittere uxorem, ita & uxori virum adulterum; ut apparet ex cap. *Præcepit*, 33. q. 5. & cap. *Uxor a viro*, ibidem q. 7. Qua de re, aliiſque huc ſpectantibus late docteque diſſerunt S. Bonaventura laudato in loco, & S. Thomas in ſuppl. q. 62. per plures articulos.

Sunt tandem aliæ divortii cauſæ præter fornicationem; immoderata nempe conjugis ſævitia, lapſus in idololatriam vel hæreſim, impulſio ad grave aliquod ſcelus; de quibus legendi ſunt Gotti, Tournely, Berti, aliique ſacrorum etiam Canonum Expoſitores.

CAPUT VII.

De Matrimonii impedimentis.

OMnia quidem Eccleſiæ Sacramenta impediri poſſunt ſecundum ſe, vel quoad effectus ſuos; ſi illis aliquid deſit, quod ad ipſorum ſubſtantiam, vel ſolemnitatem, vel præparationem exigitur: præ aliis tamen Sacramentis Matrimonium pluribus variiſque impedimentis obſtringitur; idque contingit 1. quia non ſolum eſt Sacramentum, ſed civilis etiam contractus: poſſunt autem contractus natura, vel lege, vel modis aliis impediri. 2. id provenit, quia matrimonium commixtione ſexuum conſummatur; ex quo ſimiliter quibuſdam impedimentis eſſe poteſt obnoxium.

Priuſquam vero de his ſigillatim agamus, contra Lutherum, Calvinum, alioſque Novatores aſſerimus, quod ad Eccleſiæ jus, auctoritatemque pertineat matrimonii impedimenta ſtatuere, atque de eo proferre judicium, poſteaquam ad Sacramenti dignitatem evectum eſt. Ita namque decrevit Synodus Tridentina ſeſſ. 24. can. 4. inquiens: *Si quis dixerit Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe; anathema ſit:* additque can. 12. *Si quis dixerit cauſas matrimoniales non ſpectare ad judices Eccleſiaſticos; anathema ſit.*

Et

Et profecto licet poſſit ſæcularis Princeps cauſas aſſumere, & conſtituere impedimenta matrimonii, quod non eſt Sacramentum, ſed civilis tantum contractus, uti inter infideles habetur; non tamen id poteſt circa Fidelium matrimonium, quod Sacramenti dignitatem includit. Iſtud enim ad bonum Eccleſiæ ordinatur, quatenus eſt maris feminæque conjunctio, ut fidelem plebem generatiône multiplicent, atque ad Dei cultum enutriant inſtruantque. *Quod autem ad bonum Eccleſiæ ordinatur, oportet quod ſubjaceat regimini Eccleſiaſtico;* uti ſcribit Doctor Angel. in 4. adverſus Gentiles c. 78. Denique Eccleſia antiquo perpetuoque uſu, quem ipſi ſæculares Principes verbo factoque probarunt, ſuam in matrimonium auctoritatem exercuit, pluraque impedimenta conſtituit, plura etiam conſtituta reſcidit. Lege Berti, Gotti, Tournely, &c.

Hic per tranſennam adverte, perperam affirmaſſe Launojum, Sorbonicum Doctorem, quod in Tridentinis Canonibus nomine Eccleſiæ intelligendi ſint Reges, ac Principes ſæculares, quorum dumtaxat auctoritate leges condere poſſit Eccleſia matrimonium irritantes. Ut enim in q. 7. de matrim. a. 1. inquit Tournely, Doctor & ipſe Sorbonicus, *iſtud Launoji figmentum tam abſurdum eſt, ut nihil magis tam alienum a communi Orthodoxorum ſenſu, ut mirum ſit potuiſſe illud in mentem ejus venire. Sic enim vel a pueritia inſtituti ſumus, ut per Eccleſiam intelligamus ſocietatem fidelium ſub legitimis Paſtoribus: atque cum audimus conditas ab Eccleſia leges aliquas, ſtatim animo occurrunt Superiores ſeu Rectores Eccleſiæ, per quos illa*

loquitur. *An dicet Launojus*, *Reges*, *ac Principes*, *Superiores eſſe*, *Rectores*, *Paſtores Eccleſiæ?* Deinde, ut idem Auctor adnotat, Lutherus negans poſſe Eccleſiam conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, Eccleſiæ nomine non intelligebat Principes ſæculares, apud quos tantum poteſtatem illam reſidere putabat; intelligebat igitur Romanum Pontificem, aliosque Paſtores Eccleſiæ: ergo & Tridentina Synodus eodem in ſenſu Eccleſiæ nomen adhibuit, dum Luthero dixit anathema. Sed lege Berti, & Gotti hac de re ſolide differentes.

Sicut autem ad Eccleſiaſticam poteſtatem pertinet matrimonii impedimenta ſtatuere, ita ad eandem ſpectat in impedimentis ejuſmodi diſpenſare. Quælibet enim poteſtas diſpenſare in eo poteſt, quod ipſa conſtituit. Idque conſtat etiam ex can. 3. ſeſſ. 24. Concilii Tridentini qui ſic ſe habet: *Si quis dixerit*, *eos tantum conſanguinitatis*, *& affinitatis gradus*, *qui in Levitico exprimuntur*, *poſſe impedire matrimonium contrahendum*, *& dirimere contractum*; *nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare*, *aut conſtituere*, *ut plures impediant*, *& dirimant*; *anathema ſit*. Loquitur autem S. Synodus de impedimentis Eccleſiaſtico jure inductis, non de iis, quæ jure naturæ, & jure divino poſitivo conſtituta fuere; cujuſmodi ſunt error circa perſonam, impotentia, coactio, &c.

Matrimonii impedimenta, alia *dirimentia*, alia vero *impedientia* nuncupantur: illa contrahi vetant, contractumque diſſolvunt; iſta non dirimunt conjugium jam contractum, ſed tantum ne contrahatur impediunt. Dirimentia impedimenta ſunt quatuordecim, quæ pervulgatis hiſce verſiculis indicantur: *Er-*

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi clandeſtinus, & impos,
Si mulier ſit rapta, loco nec reddita tuto:
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Circa primum impedimentum adverte, errorem alium eſſe *perſonæ;* ut cum quis perſonam cum qua contrahit, aliam eſſe putat quam ſit reipſa. Hic error ex ipſo naturæ jure matrimonium nullum reddit: ad matrimonium enim conſenſus exigitur; conſenſus autem eſt actus humanus voluntarius, & liber, & de objecto præcognito. Alter error eſt *conditionis;* qui etiam matrimonium dirimit; ut mox dicemus. Error alius eſt *fortunæ;* ſi nempe pauperem duceres, quam divitem exiſtimares. Quartus denique error eſt *qualitatis;* ut puta ſi cum ignobili vel corrupta contraheres, quam nobilem, intactamque cenſeres. Hi duo poſtremi errores non dirimunt matrimonium; cum directe non ſpectent ad contractus ſubſtantiam, neque ad primarium ejus objectum. Fuſius clariuſque de hoc impedimento pertractat S. Bonaventura in 4. d. 30. a. 1. q. 1. & d. 36. a. 1. q. 2. necnon S. Thomas in ſuppl. qq. 51. & 52.

Quod ad 2. impedimentum pertinet, ſciendum eſt, *conditionis* nomine intelligi ſtatum ſervilem perſonæ, quæ eſt ſub domini poteſtate tanquam poſſeſſio ejus, ſive mancipium, non vero ſub juriſdictione tantum, ut ſubditus, aut ſub regimine œconomico ſolum, ut famulus. Conditio, ſi ſciatur, non dirimit matrimonium;

nium; dirimit vero, ſi ab alterutro contrahentium qui liber ſit, ignoretur: cujus rei ratio eſt, quod conditionis error ipſam afficit matrimonii ſubſtantiam, liberumque ejus uſum impedit; cum ſervus non habeat plenam ſui corporis poteſtatem. Ita quoque decrevit Innocentius III. lib. 4. decretal. *de conjugio ſervorum*.

Votum hoc in loco illud eſt, quo aliquis proponit ac vovet cœlibem vitam agere, facta Deo ſui corporis oblatione. Diſtinguitur autem in ſimplex, & ſolemne. Simplex continentiæ votum non dirimit, ſed impedit ſolummodo matrimonium: ſolemne vero impedit, dirimitque; uti conſtat etiam ex can. 9. ſeſſ. 14. Synodi Tridentinæ. Solemne autem redditur votum *per ſuſceptionem ſacri Ordinis; aut per profeſſionem expreſſam, vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis;* inquit Bonifacius VIII. in Sexto, *de voto & voti redemptione*.

Cognatio dividitur in naturalem, ſive carnalem, quæ dicitur conſanguinitas; in ſpiritualem, quæ vocatur compaternitas; & in legalem, quæ appellatur adoptio. *Conſanguinitas* ex S. Bonaventura in 4. d. 40. a. 1. q. 1. *eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum. Stipes autem vocatur perſona, a qua aliqui duxerunt originem, a qua deſcendentes ſunt conſanguinei ad invicem, & illi etiam a quo ſunt*. Ita pater reſpectu duorum filiorum, & avus reſpectu duorum nepotum, unus *ſtipes*, vel *truncus*, vel *radix* vocari ſolet; ſive ſolus, ſive ſimul cum conjuge accipiatur: vir enim, & uxor, cum ſint

ſint una caro, ſtipitem unum eundemque conſtituunt..

In conſanguinitate gradus, & lineæ diſtinguuntur. Linea ex Seraph. Doctore ibidem, *eſt ordinata collectio perſonarum conſanguinitate conjunctarum ab eodem ſtipite deſcendentium diverſos gradus continens*. Gradus autem eſt *habitudo diſtantium perſonarum, qua cognoſcitur quota generationis diſtantia duæ perſonæ differunt inter ſe*.

Rurſus linea duplex eſt, *recta*, ſcilicet, ac *tranſverſa*, ſive *collateralis*: recta inſuper aſcendentium una, altera deſcendentium. Linea recta eſt collectio perſonarum, quarum una procreatur ab alia: & hæc ad inſtar ſcalæ dicitur linea deſcendentium, ſi a ſtipite progrediamur ad poſteros; ſi vero a poſteris revertamur ad ſtipitem, aſcendentium linea nuncupatur. Tranſverſa linea eſt, in qua unus non deſcendit ab altero, ſed ab eodem ſtipite ambo promanant, ut frater, & ſoror, ut item patrueles, & conſobrini, & quotquot ex latere ſeſe mutuo reſpiciunt.

In Jure Canonico ad computandos conſanguinitatis gradus prima hæc regula traditur. In recta linea tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, dempto ſtipite: ita pater a filio diſtat unico gradu, & avus a nepote duobus. 2. In linea collaterali, ſi æqualis ea ſit, nimirum ſi ex utroque latere eadem ſit diſtantia a communi ſtipite; tot computantur gradus, quot ab utroque latere ſunt perſonæ, dempto itidem ſtipite: atque ita duo fratres, aut ſorores uno gradu, illorum autem filii gradibus duobus ab invicem diſtant. 3. regula: Si collateralis linea

nea ſit inæqualis, ideſt ex uno laterum plures, ex altero pauciores perſonæ enumerentur; tot computandi ſunt gradus, quot ſunt perſonæ a latere magis diſtante, ſtipite pariter non recenſito: atque ita frater & ſororis filius ſecundo inter ſe gradu diſtant, filii autem conſobrini vel patruelis, a conſobrino, vel patruele parentis ſui gradu tertio diſtant.

His ita præmiſſis, 1. dicimus, juxta communem Theologorum aſſertionem nuptias in primo gradu lineæ rectæ, ideſt inter patrem & filiam, aut inter filium & matrem ipſo naturæ jure eſſe prohibitas. Ut enim inquit S. Bonaventura in 4. d. 40. a. 1. q. 2. *natura dictat, quod alio affectu tractandi ſunt parentes, alio affectu tractari debent conjuges. Ideo propter dictamen naturæ impeditur matrimonium per conſanguinitatis primum vinculum, quæ eſt prolis genitæ ad ſuum principium*. Et paulo ante dixerat: *Propter reverentiam, & honorem, qui debet exhiberi patri, & matri; ideo non debent commiſceri.*

2. Plures Theologi arbitrantur, eodem naturæ jure vetari conſanguineorum conjugia in quolibet lineæ rectæ gradu, ut inter avum & neptem, proavum, & proneptem, &c. Cujus rei rationem repetunt ex generali pudore & reverentia, quam nati progenitoribus ſuis exhibere tenentur. *Nam & hi*, ait Eſtius in 4. d. 41. §. 5. *patres illorum dicuntur more Scripturæ, & illi horum filii*. Videndus eſt etiam hac de re Tournely.

3. Communiter Theologi ſentiunt, matrimonium in primo gradu lineæ tranſverſæ, ideſt fratres inter & ſorores, opponi juri naturæ; quod docet etiam Auguſtinus in lib. 15. de C.D. 16.

4. O-

4. Opinantur multi, in aliis gradibus nullum jure naturæ impedimentum adinveniri, ſed poſitivo jure dumtaxat, vel divino quod pro Judæis latum legitur Levitici c. 18 vel Eccleſiaſtico, quod olim quidem uſque ad ſeptimum gradum, nunc autem poſt Lateranenſis Concilii IV. decretum ad quartum incluſive gradum collateralis lineæ conjugia prohibentur.

Cognatio ſpiritualis illa eſt, quæ Eccleſiaſtico jure oritur ex adminiſtratione Baptiſmi, & Confirmationis, & ex ſuſceptione in utroque eodem Sacramento. Contrahitur vero hæc cognatio inter baptizantem & baptizatum, ejuſque parentes, & inter ſuſcipientem, vel ſuſcipientes, & baptizatum, ejuſque parentes; & ſimiliter in Confirmatione: ita namque conſtituit Tridentina Synodus ſeſſ. 24. de reform. matrim. cap. 2.

Cognatio legalis, juxta communiorem opinionem, in linea recta aſcendentium vel deſcendentium impedit dirimitque matrimonium inter adoptantem, & adoptatum ejuſque poſteros uſque ad quartum gradum: in linea vero tranſverſa dirimit inter filium adoptatum, & naturalem filiam adoptantis. Sed de his plura Jureconſulti, prolixioreſque Theologi.

Crimen, quod Eccleſiaſtico jure matrimonium dirimit, duplex eſt; adulterium nempe, aut homicidium, machinatione facta in necem alterius conjugis, aut præmiſſa fide futuri matrimonii. Vide Berti, Gotti, &c.

Diſparitas cultus eſt, quando unus contrahentium initiatus eſt ſacramento Baptiſmatis, alter nequaquam. Hujuſmodi cultus diſparitas eſt impedimentum matrimonii Eccleſiaſtica tantum

tum lege ſtatutum. Matrimonium vero Catholici cum hæretica, vel e contra, validum eſt, quamvis illicitum.

Vis, *& coactio* naturali jure dirimit matrimonium. Iſtud enim contrahitur per aſſenſum, a plena libertate profectum: ubi vero contractus vi, illatoque metu extorquetur, liber aſſenſus, & animorum conjunctio eſſe non poteſt. Diſtinguendum eſt autem inter violentiam, qua ex principio extrinſecus impellente movetur aliquis renitens omnino atque invitus; & inter violentiam alteram, qua ex incuſſo metu aliquis eligit, quod metu illo non perculſus haudquaquam eligeret. Primi generis violentia, utpote quæ ab omni deliberatione ſejungitur, omnem prorſus conſenſum excludit, ac dirimit matrimonium. Violentia autem illa, quæ in metus incuſſione conſiſtit, tunc matrimonium dirimit, quando eſt metus gravis, cadens in virum conſtantem; non quando metus eſt levis.

Sacri etiam *Ordines* matrimonium contrahendum impediunt, dirimuntque contractum. Impedimentum iſtud Eccleſiaſtica lege inductum eſt, majoremque vim habet ob votum eiſdem ſacris Ordinibus adnexum. Ordines vero minores matrimonium non impediunt; niſi fortaſſis acceſſerit votum, & religioſa profeſſio.

Ligamen eſt prioris matrimonii vinculum, quo ſtante, alterum matrimonium divino jure eſt irritum. Recole quæ de polygamia diximus c. 5. Qua in re notandum eſt, mulieres junctas viris non poſſe novum inire conjugium, *donec certum nuncium de morte illorum recipiant*, ſive, *donec conſtet quod ab hac vita migraverint*; uti decrevit Clemens III. cap. *In præ-*

præſentia, de ſponſalibus, & Lucius III. cap. *Dominus*, de ſecundis nuptiis.

Impedimentum *publicæ boneſtatis* provenit ex ſponſalibus validis, & ex matrimonio rato, non conſummato; atque ita dicitur, quia Eccleſia inhoneſtum & indecorum exiſtimat, ſi quis cum ſponſæ, vel uxoris ſuæ, etſi non cognitæ, conſanguineis matrimonio copuletur. Hoc itaque impedimentum, ſi ex ſponſalibus validis oriatur, dirimit matrimonium in primo tantum gradu, ex definitione Tridentini Concilii in ſeſſ. 24. de reform. matrim. c. 3. Si vero ex matrimonio rato proveniat, ad quartum uſque gradum extenditur ex Pii V. decreto quod incipit, *Ad Romanum*.

Affinitas eſt propinquitas & neceſſitudo, quæ oritur ex viri mulieriſque commercio, & conſummato concubitu. Si concubitus ſit licitus, affinitas matrimonium dirimit uſque ad quartum gradum; quod ſi illicitus ſit, affinitatis impedimentum ad eos tantum, qui in primo, & ſecundo gradu conjunguntur, reſtrictum eſt a Tridentina Synodo in citata ſuperius ſeſſione cap. 4. Brevitatis cauſa hic duo tantum advertimus: 1. Quo gradu aliquis viro conſanguineus eſt, eodem gradu eſt affinis illius uxori; & viciſſim de uxore dicendum idem eſt relate ad virum. 2. Affinitas non parit affinitatem: unde affinis Petro, non eſt affinis Joanni ejus fratri; & ideo licet duobus fratribus cum duabus ſororibus inire conjugia.

Præterea, ut validum ſit matrimonium, oportet, ut non ſit *clandeſtinum*; nempe neceſſe eſt, *ut præſente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tri-*

tribus teſtibus matrimonium contrahatur; prout Synodus Tridentina decrevit in ſupra citata ſeſſ. 24. cap. 1. Hic nota, quod quamvis ante Tridentini definitionem matrimonia clandeſtina rata fuerint, ſemper tamen fuerunt illicita. Lege S. Bonaventuram in 4. d. 28. p. 1. a. 1. q. 5. & S. Thomam in ſupplem. q. 45. a. 5. Ex quo autem laudata Synodus conjugia illa irrita declaravit, non eſt dicendum mutaſſe materiam a Chriſto ſtatutam; quoniam eadem materia quæ eſt contractus civilis, pro ſua ratione requirit, ut præter conſenſum liberum, quem exigit jure naturæ, humanarum leum diſpoſitioni ſubdatur, a quibus conditiones aliæ præſcribuntur, ſine quibus nudus conſenſus pro corroborando contractu non ſufficit. Conſule P. Berti in lib. 37. c. 7. & quæ a nobis ſuperius dicta ſunt c. 4.

Aliud impedimentum eſt *impotentia coeundi*, quæ vel ex naturali cauſa proficiſcitur, vel ex maleficio. Vir naturaliter impotens dicitur, quotieſcunque naturæ ſit frigidæ, aut aliis de cauſis ad conjugii actum cenſeatur ineptus: mulier vero ex *arctatione* naturaliter impotens judicatur. Duplex eſt inſuper impotentia, abſoluta videlicet, & reſpectiva: prior carnalem copulam cum perſona qualibet impedit; poſterior impedit dumtaxat cum determinata perſona. Utraque etiam impotentia, ſi ſit perpetua, nempe ſi abſque miraculo, aut peccato, aut gravi corporis damno tolli non poſſit, dirimit matrimonium; abſoluta quidem relate ad omnes, reſpectiva autem relate ad eos, ad quos impotentia iſta refertur. Demum in Jure perpetua cenſetur impotentia, quæ per triennium duraſſe probatur. Ma-

Maleficium eſt faſcinatio, cujus vi conjuges ne coire valeant devinciuntur. Neque enim dæmonum facultatem excedit efficere innumeris artibus, ut membra frigeſcant, nec ſentiatur verminetque prurigo, ſi tamen id Deus permittat. Impotentia hinc orta, *perpetua* ac dirimens conjugia erit exiſtimanda, ſi per experientiam triennalem adhibitis Eccleſiaſticæ medicinæ remediis tolli nequiverit, juxta cap. *Laudabilem*, de frigidis, & maleficiatis. Sunt autem hæc remedia peccatorum ſacramentalis confeſſio, largiores eleemoſinæ, jejunia, & exorciſmi facti ab Eccleſiæ miniſtris. Agit de hoc impedimento S. Bonaventura in 4. d. 34. a. 2. q. 1. & 2.

Raptus denique eſt violenta mulieris abductio ad contrahendum cum ea matrimonium, aut ad explendam libidinem. Hinc raptor non eſt dicendus, qui cum habuerit mulieris aſſenſum, illam a parentibus invitis abduxerit; prout ait Lucius III. cap. *Cum cauſam*, De raptoribus. Inter raptorem & raptam, quamdju hæc in raptoris poteſtate manſerit, nullum conſiſtere poteſt matrimonium; uti ſtatuit Concilium Trident. ſeſſ. 24. c. 6. Quod ſi rapta a raptore ſejuncta, & in loco tuto, ac libero fuerit conſtituta, illumque in virum habere conſenſerit, ratum poterit iniri conjugium. *Nihilominus*, addit laudata Synodus, *raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces: & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor, mulierem raptam, ſive eam uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.*

Et hæc quidem hactenus recenſita impedimen-

menta *dirimentia* appellantur; quæ vero *impedientia* dicuntur, hiſce verſibus continentur:

Eccleſiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque catechiſmus, crimen, ſponſalia, votum:
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Primum itaque eſt *Eccleſiæ vetitum*, ſive prohibitio: vetare enim poſſunt ne jungantur conjugia, tum Judex Eccleſiaſticus lite circa matrimonium pendente, cap. *Tua nos*, de ſponſalibus, tum Parochus ſi illi denuncietur aliquod impedimentum, vel hujus oriatur ſuſpicio, cap. *Cum inhibitio*, eodem titulo.

II. eſt *Tempus feriatum*, quo nuptiarum ſolemnitates fieri prohibentur. Qua de re Synodus Tridentina in ſeſſ. 24. cap. 10. præcipit, *ab adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti uſque in diem Epiphaniæ, & a feria quarta cinerum uſque in octavam Paſchatis incluſive, antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſervari*. Cum enim nuptiarum celebritas ad voluptates animum trahat, jejuniorum, ſolemniumque feſtorum diebus plurimum adverſatur. Hinc non immerito ex antiqua traditione iiſdem diebus nuptias contrahere omninò non licet.

III. eſt *Catechiſmus* ſignificans ceremoniam illam, qua dum ſupplentur in puero domi regenerato ritus Baptiſmatis, quis ſuſceptoris fungens munere reſpondet interrogationibus, quæ fiunt ante fores Eccleſiæ, & quæ fiebant olim catechumenis, priuſquam unda regenerationis abluerentur. Hac enim ceremonia contrahebatur olim ſpiritualis affinitas, matrimonium contrahendum impediens; ut habetur cap. *Per Baptiſmum*, de cognatione ſpirituali, in Sexto. Sublatum vero nunc videtur impedimentum

iſtud

iſtud a Synodo Tridentina ſeſſ. 24. c. 2.

IV. *Criminis* nomine hic intelligitur grave ſcelus a flagitioſo homine perpetratum, propter quod antiqui Canones ei vetabant cum qualibet perſona contrahere, tametſi ejuſdem criminis conſcia non eſſet. Hujuſmodi autem ſcelera erant multa; ideſt inceſtus, raptus alienæ ſponſæ, mors illata uxori vel Sacerdoti, propriæ prolis baptizatio vel ſuſceptio facta animo defraudandi uxorem debito conjugali, matrimonium cum moniali attentatum, aliaque omnia, quæ publicæ pœnitentiæ ſubjiciebantur; hujus enim tempore vetitum erat inire conjugia. Poſtquam vero pœnitentia publica in deſuetudinem abiit, ea tantummodo crimina attendi ſolent, quæ matrimonium dirimunt, de quibus paulo ſuperius tractatum eſt.

V. *Sponſalia* faciunt, ut matrimonium cum alia muliere initum culpa non careat, cum promiſſio violetur; illud tamen non dirimunt, quoniam conjugii vinculum, quod per *verba de præſenti* contrahitur, arctius eſt futurarum nuptiarum ſponſione: qua de re in ſequenti capite diſputabimus.

VI. *Votum* denique ſimplex caſtitatis non dirimit, ſed impedit ſolummodo matrimonium contrahendum; uti ſupra diximus de ſolemni voto agentes, ubi poſt citata ibidem verba Bonifacius VIII. de ſimplici voto ſubjungit: *Reliqua vota, etſi quandoque matrimonium impediant contrahendum, & quanto manifeſtius ſunt emiſſa, tanto propter plurium ſcandalum & exemplum, durior pœnitentia tranſgreſſoribus debeatur: non tamen reſcindere poſſunt matrimonia poſt contracta*. De diſcrimine quod verſatur inter

 ſo-

ſolemne votum & ſimplex, lege S. Bonaventuram in 4. d. 38. a. 2. q. 1. & S. Thomam in ſuppl. q 53. a. 1.

C A P U T VIII.

Ubi de Sponſalibus & Denunciationibus nonnulla notantur.

UTI jubet Eccleſia, ſponſalia, ac denunciationes celebrandis nuptiis præmittuntur. De his itaque breviter diſſeremus, ne quid ad Matrimonii tractatum neceſſario pertinens prætermiſſum a nobis fuiſſe Tyrones noſtri merito conquerantur.

I. igitur notandum eſt, quod ex Nicolao I. in Reſcripto ad Conſulta Bulgarorum ſponſalia ſunt *futurarum nuptiarum promiſſio*. Scribit etiam hac de re S. Thomas in ſuppl. q. 43. a. 1. „ quod „ conſenſus in conjugalem copulam per verba „ de futuro non facit matrimonium, ſed ma- „ trimonii promiſſionem. Et hæc promiſſio „ dicitur ſponſalia a ſpondendo, ut dicit Iſido- „ rus lib. 9. Etymolog. c. 8. Nam ante uſum „ tabularum matrimonii cautiones dabant, qui- „ bus ſpondebant, ſe invicem conſentire in ju- „ re matrimoniali, & fidejuſſores dabant.

Ejuſmodi vero promiſſio ab illis ipſis facienda eſt, qui matrimonio ſunt copulandi. Nam parentum promiſſio non ſufficit ad valide contrahenda ſponſalia pro filiis, neque per id iſti

ad

ad celebrandum matrimonium obligantur, niſi expreſſe conſenſerint, vel tacite, ut ſi præſentes fuerint, nec contradixerint; vel ſi abſentes fuerint, & etiam ignorantes, eadem ſponſalia poſt ſcientes tacite vel expreſſe ratificaverint. Ita declaravit Bonifacius VIII. cap. unico *de deſponſatione impuberum* in 6.

Oportet inſuper, ut legitima futuri matrimonii promiſſio ſit mutua; cum inter duos illa verſetur, qui invicem conjugali fœdere ſunt jungendi. Debet etiam vera eſſe, non ficta; libera, non coacta; deliberata, non præceps; exterius expreſſa verbis, aut æquivalentibus ſignis, non dumtaxat interna: ac poſtremo requiritur, ut ab illis promiſſio fiat, qui ad contrahendum ſuo tempore matrimonium nullo impedimento ligantur.

I. cum S. Thoma citato in loco advertimus, duplici generatim modo contrahi poſſe ſponſalia; abſolute videlicet, & conditionate. Abſolute ſponſalia contrahuntur, vel per ſimplicem promiſſionem de futuro, ut ſi quis dicat, *Accipiam te in uxorem*, & viciſſim, *Accipiam te in virum*; vel per arrham, & munera quæ dantur in pignus futuri conjugii; vel per annulum, quo obligatur fides; vel per juramentum, quo magis quidem firma promiſſio redditur, at intra limites tantum promiſſionis de futuro conſiſtit. Neque enim jurata ſponſalia vim conjugalis contractus habent, etiamſi præſente Parocho fiant; quia matrimonium verba de præſenti requirit, quæ conſenſum exprimant actu præſentem. Lege Eſtium in 4. d. 27. §. 9.

Contrahuntur autem ſponſalia conditionate, ſi conditio aliqua apponatur: hæc autem, in-

 quit

quit Angel. Doctor, *aut eſt honeſta, ut cum dicitur;* Accipiam te, ſi parentibus placeat; *& tunc ſtante conditione ſtat promiſſio, & non ſtante non ſtat. Aut eſt inboneſta; & hoc dupliciter: quia aut eſt contraria bonis matrimonii, ut ſi dicam,* Accipiam te, ſi venena ſterilitatis procures; *& tunc non contrahuntur ſponſalia: Aut non contraria bonis matrimonii, ut ſi dicam,* Accipiam te, ſi furtis meis conſentias, *& tunc ſtat promiſſio, ſed tollenda eſt conditio.*

III. dicimus, ad valorem ſponſalium non referre, an clandeſtine, vel publice contrahantur. Quamvis enim tum ex conſuetudine, tum ex Synodalibus Statutis oporteat ea contrahi coram Parocho, & teſtibus, & in loco ſacro, non in tabernis, uti decrevit Provinciale Concilium Cameracenſe I. titulo de Matrimonio; aliter tamen contracta ſunt valida. Neque obſtat, quod Tridentina Synodus matrimonium clandeſtinum irritum declaraverit: quam enim conditionem matrimonio appoſuit Synodus, non appoſuit ſponſalibus; neque clandeſtina ſponſalia neceſſario inferunt matrimonium clandeſtinum.

IV. addimus, duos paſſim a Theologis aſſignari ſponſaliorum effectus. Primus eſt obligatio matrimonium contrahendi; quæ quidem mutua obligatio ex ſponſalibus ipſo naturali jure deſcendit. Unde S. Thomas in 4. d. 27. q. 2. a. 1. ad 2. ait: „ Ex tali promiſſione obligatur unus alii ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non ſolvens promiſſum, niſi legitimum impedimentum interveniat. Et ſecundum hoc etiam Eccleſia cogit injungendo pœnitentiam pro peccato: Tamen in foro contentioſo non compellitur;

„ quia

„ quia matrimonia coacta conſueverunt malos „ exitus habere; niſi forte juramentum inter„ venerit, quia tunc cogendus eſt, ut quidam „ dicunt, quamvis aliis non videatur propter „ cauſam prædictam, præcipue ſi de uxorici„ dio timeretur. “ Alter denique effectus ſponſalium eſt canonicum impedimentum, quod dicitur *publicæ boneſtatis* ; uti in ſuperiori capite notatum eſt. Lege Seraph. Doctorem in 4. d. 36. a. 2. q. 3.

V. ſubjungimus, quod ſi ſolum jus naturale ſpectetur, ea ætas ad ſponſalia ſufficit, in qua contrahentes cognitionis & deliberationis ſunt capaces. Cum itaque conſtet nonnullos ante ſeptem annos eſſe, in quibus, ut vulgo dicitur, malitia ſupplet ætatem, quique ideo noſſe poſſunt vim promiſſionis qua ſeipſos obſtringunt; conſequens profecto eſt, ex ipſo naturali jure poſſe eoſdem etiam ante ſeptennium valide celebrare ſponſalia. Nihilo tamen minus Jure Canonico ſeptem annorum ætas ad illa requiritur, ut apparet ex capp. *Litteras*, & *Acceſſit*, De deſponſatione impuberum. Vide quæ hac de re ſcribunt S. Thomas in ſuppl. q. 43. a. 2. & S. Bonaventura in 4. d. 36. a. 2. q. 2.

VI. Licet matrimonium non præmiſſis ſponſalibus celebratum, validum ſit; ſicut eſt valida actualis pecuniæ aut agri donatio, quamvis futuræ donationis promiſſio non præcedat; pium tamen, ac laudabile eſt illa præmittere. Inſtituta ſunt enim, tum ut matura deliberatione celebretur matrimonium tot operibus, moleſtiis, ac difficultatibus implicatum; tum ut futuri conjuges ferventius orationi vacent, ac ſe præparent ad gratiam Sacramenti; tum etiam

ut de contrahentium moribus, vita, ſtatu, & conditione diligentius inquiratur, tum denique, uti ait Auguſtinus in lib. 8. Confeſſ. c. 3. *Inſtitutum eſt, ut jam pactæ ſponſæ non tradantur ſtatim, ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiraverit ſponſus dilatam.*

VII. Poſt Tridentini Concilii decretum, quo irrita eſſe clandeſtina matrimonia definivit, ſponſalia, etiamſi carnalis copula ſubſequatur, in verum matrimonium tranſire non poſſunt. Promiſſio enim vim traditionis ſeu donationis non habet; ac aliunde neceſſe eſt, ut matrimonium per verba de præſenti coram Parocho & teſtibus contrahatur.

At ante decretum illud, cum nondum irrita eſſent matrimonia clandeſtina, imo & poſt Concilium Tridentinum, ubi idem decretum non eſt promulgatum, ſponſalia, accedente carnali copula, præſumuntur in verum tranſire matrimonium, non quidem vi præciſe promiſſionis ſponſalitiæ, ſed vi conſenſus de præſenti, qui acceſſiſſe præſumitur, cum ſponſus & ſponſa maritali affectu cohabitant. Lege Eſtium in 4. d. 27. §. 10.

VIII. Pluribus modis ſponſalia diſſolvuntur. Diſſolvi enim primo poſſunt ex mutuo conſenſu. Nam contractus ille non ex ſui natura eſt indiſſolubilis, ſicut eſt conjugalis contractus: ab iiſdem ergo perſonis diſſolvi poteſt, a quibus efficitur; & quidem licite, ſi, ut ait S. Bonaventura in loco ſuperius indicato q. 3. *veniat ex cauſa aliquo modo rationabili*. De hoc modo diſſolvendi ſponſalia hæc habet Angelicus Doctor in ſuppl. q. 43. a. 3. ad 5. „ Quidam non recipiunt iſtum caſum. Sed contra

„ eos

„ eos eſt Decretalis, *cap. Præterea, tit. de ſponſ.*
„ *& matrim.* quæ expreſſe dicit: *Ad in-*
„ *ſtar*, inquit, *eorum, qui ſocietatem interpoſi-*
„ *tione fidei contrahunt, & poſtea eamdem ſibi*
„ *remittunt, poteſt in patientia tolerari, ſi mu-*
„ *tuo ſe abſolvunt, qui ſponſalia contraxerunt.*
„ Sed ad hoc dicunt, quod Eccleſia magis hoc
„ ſuſtinet, ne pejus eveniat, quam hoc ſit de
„ jure; ſed hoc non videtur exemplo conve-
„ nire, quod Decretalis adducit. Et ideo di-
„ cendum, quod non ſemper eſt levitatis re-
„ tractare quæ prius firmata ſunt, quia *incertæ*
„ *ſunt providentiæ noſtræ*, ut dicitur Sapientiæ 9.

Solvuntur ſecundo ſponſalia per matrimonium cum alio *per verba de præſenti* contractum. Cujus rei apertiſſima ratio eſt, quia matrimonium eſt inſolubile, ideoque per ipſum ſponſio præcedens fit impoſſibilis obſervatu; proindeque nulla ejus relinquitur obligatio, niſi forte contigerit, ſusceptam uxorem ex hac vita decedere. Eo enim in caſu tenebitur priorem ſponſam accipere, ſi adhuc ſoluta ſit, & velit, non vi ſponſalium, quæ adhuc exiſtant, ſed ratione promiſſi, quod antea propter mutationem materiæ de licita in illicitam, impleri non poterat.

Tertio per Religionis ingreſſum ſeu profeſſionem ſponſalia dirimuntur. Qui ſane modus eſt ſponſalibus cum matrimonio inconſummato communis, atque ex eo evidenter probatur, argumento, ut inquiunt, *a majori*; quia ſine dubio fortius eſt vinculum matrimonii etiam inconſummati quam ſponſalium, ideoque minus etiam eſt ſolubile. Imo per ſolam religioſi habitus ſuſceptionem liberatur ſua ſponſione is,

is, qui in ſeculo remanet, ita ut liberum ei ſit ad alia vota tranſire; non autem liberatur ille qui habitum ſuſcepit, alioquin poſſet quis in fraudem ſuſcipere habitum ut ſponſione liberaretur, & poſtea exire, & cum alia inire conjugium.

Quærunt hic Theologi, an is etiam, qui ſponſalia juramento firmaverit, poſſit habitum religionis accipere, antequam ineat matrimonium?

Nonnulli cum Alexandro III. cap. *Commiſſum*, tit. de ſponſalibus, reſpondent tutius eſſe ſervare juramentum, priuſque contrahere; & poſtea, ſi elegerit, religionem intrare, matrimonio non conſummato; ne videlicet vulgi opinione perjurus habeatur, qui eo pacto a ſponſione jurata receſſerit. Alii autem arbitrantur, poſſe illum ad religionem tranſire antequam matrimonium contrahat; quia cum religio ſit ſtatus matrimonio perfectior, ſicut in ſponſalibus ipſo jure ſubintelligitur exceptio, *Niſi velim ingredi Religionem*; ita etiam in juramento, per quod ſponſalia confirmantur, eadem exceptio intelligenda videtur. Quæ hactenus dicta ſunt, pertinent etiam ad ſacrorum Ordinum ſuſceptionem; nam per hanc quoque ſponſalia prius contracta ſolvuntur propter votum caſtitatis annexum.

Dubitarunt aliqui, an ſimplex caſtitatis votum ſponſalia dirimat. Verum complures id aſſerunt, & recte quidem. Sponſalia enim mutuam traditionem non præ ſe ferunt, ſed ſolam futuræ traditionis promiſſionem; & vinculum promiſſionis factæ Deo fortius eſt vinculo promiſſionis factæ homini, atque ideo illa hanc

ipſo

ipſo jure diſſolvit. Deinde, uti bene ait Card. Gotti, ſicuti in contractu matrimonii antequam conſummetur, tacita conditio intelligitur, *Niſi per ſolemne votum eligat in aliquâ Religione ſe Deo mancipare*; ita in contractu ſponſalium antequam impleantur, intelligitur reſervata conditio, *Niſi voverit continentiæ ſtatum*.

Quarto dividuntur ſponſalia, etiam jurata, ſi poſt illa alter contrahentium fornicetur; cap. *Quemadmodum*, tit. *de jurejurando*. Nam *quamvis*, inquit S. Thomas in ſupra citato loco ad 6. *nondum dederint ſibi mutuo poteſtatem corporis ſponſalia contrahentes; tamen ex hoc efficiuntur ſibi invicem ſuſpecti de non ſervanda fide in futurum: & ideo poteſt ſibi præcavere unus contra alium ſponſalia dirimendo*. Idem pariter dicendum eſt de ſpirituali fornicatione per hæreſim, vel apoſtaſiam, ſive illa præcedat ſponſalia, ſive ſequatur.

Quinto. Si elapſum fuerit tempus matrimonio celebrando præfixum, ille per quem non ſtetit, ſua obligatione eximitur. Eadem valet ratio, ſi ſponſalibus appoſita erat honeſta conditio, quæ poſtea non ſervatur; cujus rei ratio eſt, quia promiſſio a conditione pendebat.

Sexto. Quando ſponſorum alter abſque alterius conſenſu in longinquam emigrat regionem, Cap. *De illis*, tit. *de ſponſalibus*; tunc enim mutationem voluntatis ſuæ ipſo facto declarare cenſetur. Neque obſtat commune illud adagium, *in dubiis tutior pars eſt eligenda*; ut enim ait Doctor Angel. in prædicto loco ad 2. *dubium illud determinatur ex hoc, quod alter non comparet tempore ſtatuto ad matrimonium perficiendum. Unde ſi ex parte ejus non defuit*,

quin

quin matrimonium compleret, poteſt licite alteri nubere. Si autem per eum ſtetit, quod matrimonium non eſt completum, debet agere pœnitentiam de peccato fractæ promiſſionis, aut juramenti, ſi juramentum intervenerit, & contrahere poteſt cum alio, ſi vult, judicio Eccleſiæ.

Septimo. Quando ſponſalibus ſupervenit affinitas, vel quodcunque juris impedimentum, vel impedimenti fama, vel ſcandalum; veluti ſi alter alterius filium de ſacro fonte levet, vel ſi ſponſus cum ſorore ſponſæ fornicetur, aut ejus rei publica fama laboret, &c. Lege cap. *Si quis ſponſam*, 27. q. 2. & cap. *Cum in tua*, de ſponſalibus.

Octavo. Si poſt ſponſalia ſupervenerit lepra, paralyſis, vel diuturnus alius graviſque morbus, vel mutilatio, notabiliſque deformitas. Conſtat id ex cap. *Literas*, de conjugio leproſorum, & ex cap. *Quemadmodum*, de jurejurando. Hinc bene Doctor Angel. in citato a. 3. ad 3. *Si ante contractum matrimonium aliquam gravem infirmitatem incurrat alter eorum, inter quos contracta ſunt ſponſalia, quæ ipſum debilitet nimis, ut epilepſia, vel paralyſis; aut deformet, ut abſciſſio naſi, vel orbitas oculorum, aut aliquid hujuſmodi; aut quæ ſit contra bonum prolis, utpote lepra, quæ ſolet prolem inficere; poſſunt ſponſalia dirimi, ne ſibi invicem diſpliceant, & matrimonium ſic contractum malum exitum ſortiatur. Nec pro pœna punitur aliquis, ſed ex pœna damnum reportat: quod non eſt inconveniens.*

Nono. Si inter ſponſos, vel eorum parentes graves inimicitiæ oriantur, aut aliud quidpiam ſupervenerit, quod ſi fuiſſet prævisum, veriſimi-

militer non fuiſſent contracta ſponſalia : A praeterea ſi magnum alterutrius vitium innoteſcat, prius ignotum.

Decimo. Si utrique, vel alteri deeſt legitima ætas, & cum ad eam venit, recuſat. Si item uterque ætatem habeat ad ſponſalia, ſed uni ætas deerat ad matrimonium, hoc reclamante, poterunt per Eccleſiæ judicium ſeparari, ut ait Alexander III. cap. *De illis*, de deſponſat. impuberum. Notamus denique, quod ſemper Eccleſiæ judicium intervenire debeat in diremptione ſponſalium, quando hæc contracta publice fuerint, & eorundem diremptionis cauſa eſt occulta; ut nempe tali pacto ſcandalum evitetur.

Non tantum vero ſponſalia, ſed & publicæ denunciationes, ſive proclamationes præmittendæ ſunt matrimonio, ut ſi quod illius contrahendi impedimentum fuerit, detegatur. Hac de re Tridentina Synodus in ſeſſ. 24. de reformat. Matrimonii cap. 1. taliter definivit: *Sacris Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. celebrati veſtigiis inhærendo, præcipit,* (Sancta Synodus) *ut in poſterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publice denuncietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum: quibus denunciationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur . . . Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, Matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus vel tribus* te-

teſtibus præſentibus, Matrimonium celebretur: deinde ante illius conſummationem denunciationes in Eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur; niſi Ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ, & judicio ſancta Synodus relinquit. At de his plura legenda relinquimus apud moralis diſciplinæ Doctores.

CAPUT IX.

Quinam ſint Matrimonii effectus, & Bona?

EX dictis in cap. 2. & alibi manifeſtum eſt, quod Matrimonium ſit verum propriumque legis Evangelicæ Sacramentnm, conferens ſanctificantem gratiam iis, qui ut oportet bene præparati ad illud accedunt; proindeque jam conſtat eandem gratiam uti effectum a Matrimonii Sacramento produci. Specialis autem ac propria huic Sacramento gratia eſt jus illud ad actualia auxilia, quæ neceſſario requiruntur, ut conjuges pie ſancteque in matrimonio vivant. Recole quæ diximus in lib. 24. c. *16*.

Appoſite Doctor Angel. in ſuppl. q.42. a. 3. ſcribit, „ quod matrimonium in quantum in fide „ Chriſti contrahitur habet ut conferat gratiam „ adjuvantem ad illa operanda, quæ in matrimonio requiruntur . . . . . Quia ubicunque „ datur divinitus aliqua facultas, dantur etiam „ au-

„ auxilia, quibus homo convenienter uti poſſit
„ facultate illa; ſicut patet, quod omnibus po-
„ tentiis animæ reſpondent aliqua membra cor-
„ poris, quibus in actum exire poſſint. Unde
„ cum in matrimonio detur homini ex divina
„ inſtitutione facultas utendi ſua uxore ad pro-
„ curationem prolis, datur etiam gratia, ſine
„ qua id convenienter facere non poſſit.

Bene ergo recteque Theologi unanimi conſenſione dixerunt, matrimonium a Chriſto ad Sacramenti dignitatem fuiſſe elevatum, ut medium eſſet, per quod poſſent Fideles ad matrimonii bona perduci. Hæc autem bona tria ſunt juxta Auguſtini doctrinam, qui in lib. 9. de Geneſi ad literam c. 7. ita ſcribit: *Hoc*, nempe matrimonii Bonum, *tripartitum eſt, fides, proles, ſacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale, cum altera vel altero concumbatur. In prole, ut amanter ſuſcipiatur, benigne nutriatur, religioſe educetur. In ſacramento autem, ut conjugium non ſeparetur, & dimiſſus aut dimiſſa nec cauſa prolis alteri conjungatur.*

Quæ diximus egregie complectitur explicatque Seraph. Doctor in 4. d. 26. a. 2. q. 2. inquiens, quod digne ſuſcipientibus matrimonii Sacramentum, *iis* nempe, *qui ex charitatis conſenſu uniuntur ad procreandam prolem ad divinum cultum*, „ datur gratia ad copulam ſingu-
„ larem, & ad copulam utilem, & ad copu-
„ lam inſeparabilem. Et ex hac gratia fit re-
„ medium contra triplicem inordinationem con-
„ cupiſcentiæ, & naſcitur triplex bonum ma-
„ trimonii. Concupiſcentia enim inclinat ad
„ multas; quia luxurioſus non eſt una conten-

„ tus:

tus: & in matrimonio datur gratia homini,
„ ut ſoli uxori velit conjungi; & ita pronitas
„ ad multas excluditur per copulam ſingula-
„ rem. Concupiſcentia etiam inclinat ad dele-
„ ctationem, non ad utilitatem; quia luxurio-
„ ſus non quærit niſi ſatisfactionem appetitivæ,
„ ſeu appetitus ſenſitivi: datur ergo gratia in
„ matrimonio, ut non recognoſcat uxorem,
„ niſi propter prolem; & ita excluditur dele-
„ ctatio appetitivæ per copulam utilem. Item
„ concupiſcentia faſtidium generat poſt imple-
„ tionem: unde luxurioſus poſtquam cognovit
„ unam, illam reſpuit, & vadit ad aliam. In
„ matrimonio vero datur gratia, ut ſemper
„ velit eſſe cum una; & ita excluditur varia-
„ rum concupiſcentia per copulam inſeparabi-
„ lem. Ex copula ſingulari oritur bonum fidei,
„ ut ad aliam non accedat. Ex copula utili
„ bonum prolis. Ex copula inſeparabili bonum
„ ſacramenti.

Hic inſuper adnotamus, bona prolis, & fidei non in omni conjugio reperiri, ſicuti reperitur bonum ſacramenti. Sane proles non eſt ubi uterque vel alter conjux eſt ſterilis, aut ubi continentiam ambo ſervant, aut denique ubi medicamentis aliiſve modis conceptus vel etiam conceptæ jam prolis partus impeditur. Nam & interfectio prolis ſive in utero conceptæ, ſive jam in lucem editæ huic bono ſine dubio adverſatur. Qui vero prolem ſuſceptam non ut oportet inſtituunt, bonum quidem prolis habent, ideſt illud conjugii bonum quod proles vocatur; non tamen bene habent, dum non id agunt, ut Chriſto regenerata in fide & pietate permaneat. Quo ſenſu Auguſtinus ajebat,

in

in prole, quatenus conjugii bonum eſt, atten *ut amanter ſuſcipiatur, benigne nutriatur, reli- gioſe educetur.*

Fides quoque conjugio deeſt, quoties vel adulterium committitur, vel debitum conjugale negatur. Nam alia quæcunque peccata, ut furta, perjuria, latrocinia, hæreſes, &c. licet ejuſmodi ſint, ut animam ſpiritualis adulterii quo a Deo fornicatur, ream efficiant; conjugali tamen fidei minime opponuntur, uti nec aliæ conjugum adverſus ſe invicem injuriæ.

At tertium bonum, quod eſt ſacramentum & ſacramenti ratione matrimonio competens inſeparabilitas, in omni conjugio invenitur. Quamvis enim quoad torum ſeparari poſſint conjuges multis ex cauſis, ſive ad tempus, ſive perpetuo; quoad vinculum tamen ſeparari non poſſunt; per quod indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia conjunctio denotatur. Lege S. Bonaventuram in 4. d. 31. a. 1. q. 3.

Idem præterea S. Doctor in citato articulo q. 1. egregie aſſerit, matrimonium habere rationem boni honeſti propter fidem, boni utilis propter prolem, & boni delectabilis propter ſacramentum; quamvis ejuſmodi bona in hoc naturæ lapſæ ſtatu ſuis ſint admixta contrariis. Ipſum audiamus: „ Fides eſt, quod ſuam co-
„ gnoſcat, & non aliam: Hoc eſt bonum mo-
„ ris de ſe ordinatum, & cadit in genere ho-
„ neſti. Prolis vero bonum cadit in genere
„ conferentis: confert enim prolis multiplica-
„ tio ad ſpeciei conſervationem, & perfectio-
„ nem numeri, ſicut cibus ad conſervationem
„ individui. Bonum vero ſacramenti cadit in
„ genere delectabilis; quia tanta eſt ibi unio,

„ ut relinquat homo patrem & matrem, &
„ ſint duo in carne una: unde præcipitur viris,
„ ut uxores diligant ſicut corpora ſua. Et ſic
„ patet, quod cum tria ſint in electione, ſicut
„ vult Philoſophus 3. Ethic. cap. 5. ſcilicet
„ honeſtum, conferens, & delectabile, in tri-
„ plici genere eſt bonum conjugii.

„ Et hæc tria bona pura eſſent in ſtatu pu-
„ ritatis, & innocentiæ; ſed per peccatum ſunt
„ ſuis contrariis admixta. Quoniam in actu
„ illo eſt quædam inhoneſtas contracta ratione
„ improbitatis libidinis, & pruritus: & ideo
„ in bono honeſto quædam permiſcetur inho-
„ neſtas. Eſt etiam quoddam damnum, quia
„ impeditur homo a rationis inſtantia, ſeu
„ intentione: unde procreando prolem ad cul-
„ tum Dei, impeditur ut tunc perfecte colere
„ Deum non valeat. Sic igitur bono confe-
„ renti permiſcetur damnum, & etiam dele-
„ ctabili, ſcilicet ſacramenti indiviſioni quæ-
„ dam tribulatio, & anguſtia: quia qui cum
„ uxore eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomo-
„ do placeat uxori, & diviſus eſt, &c. 1. Cor.
„ 7. Et ita bonum delectabile permiſcetur tri-
„ ſtitiæ, & anguſtiæ. Quoniam ergo bonum
„ eſt, tamen permixtum; ideo appeti poteſt,
„ & etiam melius eſt non appeti. Unde qui
„ jungit virginem, bene facit, & qui non jun-
„ git virginem, melius facit.

Duo hic tandem dubia exponenda ſuperſunt, quibus finem huic de Matrimonio tractatui faciemus; primum eſt, an matrimonialis actus excuſari poſſit ſine matrimonii bonis? alterum vero, an qui cognoſcit uxorem, non intendens aliquod matrimonii bonum, ſed ſolam delecta-

tio-

tionem, lethalis culpæ ſit reus?

Quod itaque ad 1. pertinet, S. Thomas in ſupplem. q. 49. a. 5. ait, „ quod ſicut bona „ matrimonii ſecundum quod ſunt in habitu, „ faciunt matrimonium honeſtum & ſanctum; „ ita etiam ſecundum quod ſunt in actuali in- „ tentione, faciunt actum matrimonii honeſtum, „ quantum ad illa duo bona matrimonii, quæ „ ipſius actum reſpiciunt. Unde quando con- „ juges conveniunt cauſa prolis procreandæ, „ vel ut ſibi invicem debitum reddant, quod „ ad fidem pertinet, totaliter excuſantur a „ peccato. Sed tertium bonum non pertinet „ ad uſum matrimonii, ſed ad eſſentiam ipſius: „ unde facit ipſum matrimonium honeſtum, „ non autem actum ejus, ut per hoc actus e- „ jus abſque peccato reddatur, quia cauſa ali- „ cujus ſignificationis conveniunt. Et ideo duo- „ bus ſolis modis conjuges abſque omni peccato „ conveniunt, ſcilicet cauſa procreandæ prolis, „ & debiti reddendi; alias autem ſemper eſt „ ibi peccatum, ad minus veniale.

Alterum autem dubium ita reſolvit Angelicus Doctor ibidem a. 6. „ Quidam dicunt, „ quod quandocunque ad actum conjugalem „ libido principaliter movet, eſt peccatum mor- „ tale; ſed quando movet ex latere, tunc eſt „ peccatum veniale: quando autem omnino de- „ lectationem deſpicit, & diſplicet ei, tunc eſt „ omnino ſine veniali peccato; ut ſic delecta- „ tionem in iſto actu quærere, ſit peccatum „ mortale, delectationem oblatam acceptare, „ ſit veniale peccatum; ſed eam odire, ſit „ perfectionis. Sed hoc non poteſt eſſe, quia „ ſecundum Philoſophum in 10. Ethic. c. 3.

„ & 4.

„ 4. idem judicium eſt de delectatione, & „ operatione; quia operationis bonæ eſt delectatio bona, & malæ mala. Unde cum actus matrimonialis non ſit per ſe malus, nec „ quærere delectationem erit peccatum mortale ſemper.

„ Et ideo dicendum, quod ſi delectatio quæratur ultra honeſtatem matrimonii, ut ſcilicet aliquis in conjuge non attendat, quod „ conjux eſt, ſed ſolum, quod mulier, paratus „ idem facere cum ea, ſi non eſſet conjux, eſt „ peccatum mortale; & ideo talis dicitur ardentior amator uxoris, (*uti ſcribit Hieronymus in lib.* 1. *contra Jovinianum*) quia ſcilicet ardor ille extra bona matrimonii effertur. Si „ autem quæratur delectatio intra limites matrimonii, ut ſcilicet talis delectatio in alia „ non quæreretur, quam in conjuge, ſic eſt „ veniale peccatum." Præclare prolixeque de utroque hoc dubio agit etiam S. Bonaventura in laudata paulo ſuperius diſtinctione a. 2. qq. 1.2. & 3. apud quem plurima inveniuntur, quibus profecto locupletari noſter hic de Matrimonio liber facillime potuiſſet, niſi peroptata brevitas omnino aliter poſtulaſſet.

F I N I S.

6 1006101

Digitized by Google